





I. N. F.

21.

DISPUTATIONEM,

Quòd

NEQVE DECRETA

NEQVE CONCURSUS DEI

NECESSITENT ACTIONES NO-

STRAS LIBERAS TUM IN SPHÆRA NA-

TURÆ, TUM GRATIÆ,

SUB PRÆSIDIO

Quintum Rectoris Acad. Magnif.

DN. JOHANNIS OLEARII,

SS. Theol. Doctoris Ejusdemq; Prof. Publ.

Ecclesiæ Collegiatae Cizens. Canonici, Electoral. Alu-

morum Ephori, Majoris Principum Collegii Collegiati,

& Nationis Saxonicae Senioris,

Dn. Praeceptoris & Patroni submissè devenerandi,

In Auditorio Collegii Majoris Principum

d. IX. Jul. M. DC. LXXXIX.

SOLENNI THEOLOGORUM DISQUISITIONI

submittit

Pro collatō gradu Baccalaureatus

M. CHRISTIANUS *Drumbholz*

Neostad. Misn. SS. Theol. Baccal.

LIPSIÆ, TYPIS CHRISTIANI GOEZI.

Summè Reverenda Facultatis Theologicae
**DECANO, SENIORI, SUB-
SENIORI,**

ut &
RELIQVIS ASSESSORIBUS

longè Gravissimis

VIRIS

*Magnificis, Summè Reverendis, Amplissimis atqve
Excellentissimis, Dominis Patronis atqve Promotoribus
meis Maximis,*

ut &

Inclytæ Facultatis Philosophicæ

**DECANO, SENIORI, SUB-
SENIORI,**

ut &

RELIQVIS ASSESSORIBUS

itidem Gravissimis

VIRIS

*Summè Maximèq; Reverendis, Nobilissimis, Amplissi-
mis atqve Excellentissimis, Dominis atqve Patronis
suis Optimis,*

*Hanc levem Disputationem
gratus Ipsorum discipulus
exhibet pro fidei informatione*

AUTOR.



בגד



Accuratioꝛ meditatio de DEO & animabus hominum; atqve his non tantum, sed & nobilissimis functionibus, præprimis usu libertatis, [qvâ juxta Richardum de S. Victore Paris. Canon. Regular. Tr. I. de statu interioris hominis Cap. 3. inter omnia creationis bona nihil in homine subtilius, nihil dignius, nihil utilius, nihil occultius &c.] uti omnes omninò vel maximè decet; ita præprimis studiosos Theologiæ sibi totos postulabit. Factum proinde, ut, dum Superiorum jussu aliquot levia Philosophiæ specimina edenda, duobus superioribus annis proximè & feliciter elapsis in duplici fuerimus occupati materiâ, quarum prior libertatem voluntati non obstante ultimò intellectûs practici judiciò; posterior verò eandem in relatione ad infinitam infallibilemqve præscientiam Numinis Supremi pro viribus, licet exiguis & tenuibus, vindicaverit. Alia tamen adversariis, puta, Thomistis plurimisqve Calvinianorum Philosophis & Theologis [ipse Franciscus Annatus Pontificius in librò de scientiâ mediâ Parisiis ann. 1662. editò Thomistas Calvino, Luthero, (qvò jure vindicatur alibi) Jansenio aliisque hæreticis adjungit; & disp. 4. fatetur, Thomistarum doctrinam nonnisi verbotenus & penes loqvendi modum discrepare ab

errore Calvinii. Ergò nemo miretur, quòd nos idem hòc locò fecerimus. Conatur eqvidem solidè doctus Augustinus Erath Imperialis & insignis Collegiatæ Ecclesiæ ad B.V. in Wettenhausen Canonicus Regularis, Protonotarius Apostolicus, S. S. Theol. D. & Profefs. Ordinar. defendere, Thomistarum sententiam tenere medium quasi locum inter severam Calvinii necessitatem & effrenem Pelagii indifferentiam, illudq; quinque differentiis adstruere allaborat; sed quàm benè, constabit ex lectione consignatorum Tractatus Conciliat. Prædetermination. Phyc. seu decreti divini intrinsecè efficac. cum scientiâ mediâ directivâ decreti divini efficacis extrinsecè &c. p. 315. & ex argumentis inferiùs ponendis. Mihi sanè prædeterminatio Thomistarum libertati voluntatis funes sericeos; Calvinii verò compedes ferreas injicere videtur] superest via, quâ liberam nostram actiones aggredi non verentur, dum in publicis scriptis defendunt, omninò determinari voluntatem nostram tum per decretum DEI, tum per ejusdem executionem actualemqve in tempore concursum; quam elabendi rimam præsens disputatio, post alias, ipsis occludet. Ultimâ vice memini eqvidem me dixisse in præfatione, quòd forsan consultius fecissem, si materia de decretis omnium primò pertractata; quam postea excepisset habita dissertatio de præscientiâ; cui tandem subjungenda controversia maximè difficilis de Concursu DEI; (*vide Gabrielem Pennotum in eruditò, & juxta August. Erath, antiquissimo Canonic. Regul. Ordin. singulariter honorifico Opere, cui titulus: Propugnaculum humane libertatis*) quam utinam (*juxta votum Eruditissimi Ludovici à Dolâ Burgundi Sequan. Ordinis S. Franc. Capuc. in Provinc. Comit. Burgund. Ministri Provincial. & antehac in studiò Dolanò Philosophiæ ac Theologiæ Profefsoris in disputat. quadripartitâ de Modo Conjunctionis Concursuum DEI & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis p. 289.*)
sedes

sedes Apostolica vel tandem definiret, quid in eâ credendum,
 si Spiritui Sancto ita videretur, & illi, cui Christus dixit in per-
 sonâ Petri: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.
 Sed Papa nondum est conversus: E. fratres non poterit con-
 firmare. Est intricatus jam bello Gallico & profugo Jacobo II.
 non potest auxilium ferre multò minus Ecclesiæ laboranti:
 Forfan verò quod hanc materiam præsentem concernit, nunc
 illuminabitur ex scriptò citati D. Augustini Erathi summò ma-
 turòqve judiciò, quantum nos quidem judicare possumus, con-
 signatò; quippe ad ipsum Sanctissimum Patrem Innocentium
 XI. directò. Ast ibi locutus sum ad hominem. Si verò hy-
 pothesis orthodoxorum cum Foscâ observanda, quam & re-
 censet & sequitur Robertus Baronius ipse Calvinianus in Meta-
 phys., rectè decreta cum concursu divinò præscientiam ejus ex-
 cipiunt. Constitueram equidem, quod diffiteri non possum,
 hanc diatriben in Cathedrâ Philosophicâ ventilare. Et quidem
 secutus fuissim in hoc, ut minister, Philosophos acutissimos.
 Ut enim taceam nostros, inter quos eminere mihi videtur Pe-
 trus Musæus, B. Johannis Musæi Consummati Theologi Frater;
 Arriaga fanè in Cursu Philosophicò Disp. VIII. in L. III. Aristo-
 telis de Animâ Sect. III. p. 550. statim ab initiò locutus: *Immeri-
 tò nonnulli questionem hanc: Utrum prædeterminatio efficax DEI tol-
 lat libertatem? purè Theologicam reputârunt. Si enim ad Philoso-
 phum spectat agere de Voluntatis libertate, & de his, quibus illa
 possit impediri, ob quam rationem de prædeterminationibus in
 physicis agendum erat, nisi aliunde impediremur; pertinebit sa-
 nè ad præsentem disputationem inquirere: an à prædestinatione
 DEI efficaci arbitrii lædatur libertas? Ad Theologum verò spe-
 ctabit, an detur de factò vel necessaria sit ad prædestinationem? à
 quò nos in presenti abstinemus.* Et Jesuita Franciscus Svarezius
 in Disp. Metaphys. XXII. L. 8. cap. 15. n. 1. pag. 552. col. 2. *Licet*

Aristoteles cum aliis vetustioribus Philosophis, qui ipsum secuti, paucissimis egerint de concursu primæ causæ cum secundis [quod enim aliqua dixerint inficiari nemo poterit, vid. Svarez. ib.] & Theologi præprimis de hac controversiâ disputarint; tamen quantum ratione naturali cognosci poterit in hac controversiâ, rectè accuratiores Philosophi hodiernum pertractant. Conferatur & Ludovicus à Dolâ l. c. pag. 10. qui jubet distingvere inter concursum DEI ad actus ordinis naturalis & supernaturalis. Intricata equidem est materia tum de decretis, tum vel maximè de concursu DEI, & verissimam fatemur assertionem Heerboordi in meletemat. Philosoph. p. 64. Sicubi erratum est periculosè, certè in hac materiâ; & sicubi sudatum & laboratum à Philosophis, certè nullibi magis: tamen & certissimum illud, quod apposuit p. 68: Licet explicatu difficile sit, quid sit concursus aut operatio, in quo consistat, & quâ ratione causa prima cum secundis ad quemcumque effectum concurrat & cooperetur in omnibus actionibus; adeò ut in totâ Philosophiâ [addo Theologiâ] nil difficilius: attamen difficultatem nihilominus maxima utilitas compensabit præprimis in Theologicis. Cognovi tamen re paulò penitius consideratâ, præprimis doctrinam de concursu immediatò sine Scripturâ nequaquam posse defendi, ut cœtera taceam; quapropter consilium mutavi, & ut spero, Inclytus & Splendidus Philosophorum Ordo mihi facilè condonabit. Aggrediemur igitur favente Numinis aurâ ipsum negotium, ita nos gesturi, ut totam Tractationem tribus Capitibus includamus, quorum primum Terminorum brevem dilucidationem; secundum Theseos nostræ confirmationem; & tertium Argumentorum oppositorum resolutionem continebit. DEUS cœpta secundet!

CAP.

CAP. I.

§. I.



DEUS non potuisset pro arbitratu creare rationales creaturas, legibus communitate, precēs earum implere &c. quæ omnia absurda: vid. Petrum de Comitibus Tract. de Divin. Volunt. edito per Magistrum Vincentium Garaffam Brixensem Carmelitani Collegii Theologum Regentem ac Provinciæ Venetæ perpetuum Definitorem p. 479. Ut taceam, nullum spiritum esse tantum intelligentem, sed insimul volentem; ubi equidem rationibus Salmanticensium discalceatorum non pugnamus, quas Petrus de Comitibus rejicit l. c. p. 489. seqq. nihilominus tamen sufficientes putamus appositas ab eodem, p. 491. Benè etiam, quod obiter notamus, distingv. inter quæstionem de actu & de potentia; vid. August. Gibbon. de Burgo Ordin. Eremit. S. August. SS. Theol. D. olim in Hispaniâ & Hiberniâ, postmodum ejusdem Facultatis imperantiquâ Universitate Erfurtensi Profefs. Publ. & Assess. nec non Provinciæ Rheni & Sveviæ Rectoris Provincialis Theolog. Scholast. Tom. I. Disp. XXVIII. Dub. II. p. m. 591. conf. & Franciscum Burgersdiciam in Institut. Metaphys. p. 287. L. II. Cap. 9.

§. II. Objectum verò divinæ voluntatis aut est ipse DEUS, aut res extra DEUM. Semetipsum vult necessariò, alias verò omnes res liberè, & quidem ante actualem rei productionem per modum decreti. Heerboordus notissimus Philosophus in Hollandiâ statum controversiæ de decretis divinis rectè formaturus dicit in Collegiò suo Pnevmat. lib. 2. p. 991. hoc vocabulum esse ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, ejusdemq; duplici significatione neglectâ plurimas difficultates subortas, quæ tamen facillimo negotio superandæ, si benè distingvatur inter decreta subjective & objective spectata; illa denotare ipsam DEI volitionem; hæc verò res

res

res decretas terminativè; & inde esse, quòd Scholastici priora dixerint necessaria, posteriora verò contingentia, [non fortuita, sed consulta.] E. libera: conf. & August. Erath l. c. p. 508. seqq. Ast res non caret difficultate. Præsuppono enim, Scholasticos loqui de decretis & actionibus DEI, dum ita distinguunt, quatenus res extra DEUM habent pro objectis: hîc concedo principium decernens, quod est ipse DEUS, esse necessarium: Ast quæritur de actu hujus principii & tendentiâ in aliud objectum extra DEUM, an & illa necessaria, quod omninò negandum: Et tamen est decretum subjectivè spectatum; est enim actus DEI formatus intra DEUM, actus verò & objectum distinguuntur, imò etiam DEUS agens & actio ejus nostrò modò concipiendi. Aut igitur DEUS decernens dicitur decretum, admodum abusivè; aut concedendum, dari respectu actus decretum subjectivè spectatum, quod non necessarium, sed liberum. Regeris: Hoc asserere velle est rem absurdissimam defendere. Sic enim aliquid erit in DEO, quod non ipse DEUS; ratio: quia DEUS necessarius; hoc decretum verò contingens & non necessarium, & tamen intrinsecum. Resp. (a) DEUS est Ens summè necessarium, & tamen voluntas est principium operativum tale, ut possit res extra se velle & non velle. E. est in DEO necessariò potentia aliqua libera. (b) Respondet Heerboord l. c. p. 992. col. 2. *illud axioma: Nihil est in DEO quod non ipse DEUS: recte est intelligendum. Vocula enim NIHIL aut negat Ens latè sumptum, aut negat Ens reale. Priori respectu axioma falsum est; quod patescere putat ex relationibus personalibus &c.* quæ sanè non ipse DEUS: aliàs Filius, qui non habet relationem Patris personalem, non esset DEUS, de quo alibi. Utraque acceptio decreti nobis obesse non poterit in actionibus nostris, sive subjectivè, sive objectivè sumatur.

§. III. Definiri verò poterit decretum, quòd sit actus voluntatis, quò vel res nondum existens, ut creanda, vel ut quidem creata, ast tamen ut conservanda aut ad hunc vel illum motum impellenda seu dirigenda, statuitur. De decretis, ubi res producenda, quæ hætenus Esse non habuit, jam non disquirimus; neque etiam de illis, ubi res equidem producta, ast DEUS ad aliquem effectum creaturam necessariò vult destinare; sed de illis, ubi DEUS prævisâ hominis liberâ determinatione decernit, hominem non impedire, sed potius, quantum decet & par est, actionem

actionem

actionem promoveri. Neque est quod adversarii objiciant, nos sic petere id, quod in principio. Nam quod hæc decreta: Volo producere potentiam liberè agentem; volo potentiam liberè productam conservare, nobis non obstant, clarum est, & ex dicendis patebit. Ast si tale decretum sibi imaginantur: Volo, ut Rex Galliae ad destructionem Illustrissimæ fundatissimæq; domûs Austriacæ, [quam cœlum & elementa defendant, si homines desistent,] non tantum furenti manu suâ conferat; sed & exteris undiquaque mediâ consiliaq; suppeditet, & ita DEUS infallibiliter, tum ad finem, tum ad media, prædestinet; ipsimet turpis petitionis principii arguendi, & admonendi illius triti: Medice cura te ipsum. Et tamen de hoc decretò, quicquid de cæterò sit, infra disputabimus. August. Erath in nuperrimè editâ Unione Theol. differit etiam de decretorum naturâ p. 508. seqq. qui legatur.

§. IV. Præoccupavimus jam fermè materiam de divisione decretorum, ubi scimus, alia decreta DEI dici *ordinaria*, alia *extraordinaria* &c. inter quæ membra dividenda præprimis ad scopum nostrum, facere videtur illa distinctio, ubi alia *absoluta*, alia *conditionata*. Illa sunt, ubi DEUS absque ullò respectu atque mediò prærequisito rem aliquam fieri constituit; quæ decreta instar Helenæ Reformati & Dominici adamare consueverunt, quicquid protestentur; nam ad minimum mediam scientiam respectu propriæ determinationis non admittunt, sed tantum ex parte objecti. Rhetorf. in *Disp. Scholast. de Provid.* p. 116. & est communis assertio Dominicanorum, licet recentiores subtilissimè loquantur admittendò decretum subjectivè absolutum, sed objectivè conditionatum. *Conf. Clariss. Jägerus in Theol. Natur.* p. 186. Rhetorf. fortis erassissimè defendit hoc decretum DEI absolutum in plurimorum hominum damnatione *Disquis. Metaphys. Quæst. 10. annex. Disp. Scholast. de divinâ provid.* p. 578. Conditionata verò decreta non tantum rejicere videtur aliàs in hæc materiâ nobis amicissimus *Baronius citatus p. 373.* sed & præprimis Rhetorf. fortis scabiosissimè de iisdem loquitur, dum vocat *decreta pendula, ambigua, insulsa, quippe quæ conditionem aliquam referant in voluntatem DEI decernentem, quasi DEI voluntas decernens suspenderetur ab ullâ conditione in creaturâ, quod sanè præsupponat ignorantiam aut judicii defectum in Creatore, admodum blasphemè. Unde argumentum: Decretum conditionatum manifestè involvit defectum*

sapientia, scientia, potentia, misericordia, bonitatis divina &c. E. de DEO dicere nefas erit. E. rectè decretum absolutum ad extremum vitæ meæ spiritum, ut conditionatum evertatur, propugnaturus & defensurus sum: quod in Exercit. Apolog. pro divinâ gratiâ ulterius diduxi Exercit. I. Cap. 3. pag. 57. 58. 59. seqq. ad quæ hætenus nihil responsum. Resp. (α) noli triumphum canere ante victoriam, multi enim tum Remonstrantium, tum nostratum Philosophorum, quibus se adjungit Schola Societatis JESU, ad dubia tua, [quæ neque tua, sed Dominicanorum.] respondere. (β) In argumentō nego antecedens quoad singula membra; probetur, quod decretum conditionatum tollat sapientiam DEI; in hōc locō, quem jam præ manibus habemus, & est in Disp. Scholast. de divinâ providentiâ p. 116. nullam apposuisti probationem, provocasti tantum ad Exercit. Apolog. quibus pro nunc destituor; facile tamen illam subodorari possum, quod hæc: DEUS est omniscius: Ergo & sciet, quò voluntas nostra inclinatura in tempore; [admittisne scientiam mediam?] jam verò, si hoc infallibiliter ipsi constat, non poterit sapienter decernere contrarium sub conditione, e. gr. Si Petrus infallibiliter præsciret, Paulum oblatum donum repudiaturum, minus prudenter & sapienter procederet ita decernendo: Volo munus offerre, si Paulus illud desiderabit. Resp. (α) nego, quantum ad infirmum nostrum concipiendi modum, præscientiam decretum NB. hocce conditionatum præcedere. (β) Positō, sed non concessō, præscientiam præcedere; tamen in exemplō datō Petrus adhuc mihi prudenter agere videretur. Instas: Qui vult aliquid, quod scit se consequi non posse, ille non prudenter & sapienter agit. Atqui &c. E. Resp. non prudenter ageret, si positâ etiam præscientiâ, quòd Paulus donum rejecturus receptionem ejusdem absolutè veller; in eō tamen prudenter agit, quòd beneficentiam suam per hanc voluntatem conditionatam demonstratam velit. Quod alterum concernit, decreta conditionata inferre defectum scientiæ, nego & hoc, si de quâvis scientiâ intelligas. Ante decretum enim conditionatum DEUS habet hanc scientiam, hominem esse liberè agens, & ad alterutrum se determinaturum. Regeres: de hâc scientiâ non quæritur. Sic enim rusticus habebit scientiam, quod ego in Academiâ vivens vel doctus evasurus, vel non: manet profectō incertitudo, ad quodnam in individuō vel specie voluntas se determinatura.

natura.

natura. Resp. Licet nostrò concipiendi modò determinatio prior, quàm præscientia, nihil tamen exinde absurdi: ita enim DEO libuit nobiscum agere, quavis quoad rem scientia possit simul stare cum decretis. Et juxta tuam sententiam sequitur idem absurdum. Tu statuis decretum absolutum: Atqui sic dabitur decretum antecedens scientiam; nam factò absolutò, armatò omnipotentia divinâ, insuperabili, inevitabili, ineluctabili decretò Electos irresistibiliter debellante, legatur *Hülsemannus de A. G. pag. 37. seqq.* DEUS postmodum rem absolutè decretam ut futuram scit. Neque per nostram assertionem importatur defectus divinæ potentia. Contra: Qui creaturæ rationaliter & liberè agenti juxta constitutionem & creationem semel factam potentiam illam per decretum conditionatum non tollit, ille per idem decretum potentiam suam creatricem celebrat & conservat. Scilicet confundis potentiam absolutam & conditionatam ad ordinem semel constitutum directam. Misericordia verò & bonitas divina quomodo evertantur per nostram hypothesein, ne lynceis quidem, si adessent, oculis perspicere valerem; Sanè qui aliquò decretò nihil, quod sui concursum concernit & media, denegare constituit, annon ille misericors & bonus? Sc. nullam agnoscis misericordiam & bonitatem, nisi absolutè collatam & infallibiliter, vel, si mavis, irresistibiliter quoad rem, susceptam. E. Rhetor fortis erga nullum mendicorum misericordem & benignum se exhibuit, si tale decretum secum formavit: Volo ego in carceratus Abredoniæ omnibus mendicis me accedentibus & manum extendentibus stipem erogare. Nugæ! De decretis possibilitatis v. gr. possibile est me discernere de salute Petri; status conditionati v. gr. si conferrem hanc gratiam, homo converteretur; signi, e. gr. volo ut Judas credat; nolo peccata, & ut contraria assumuntur voluntati beneplaciti; legatur omninò *Dannh. in Hodom. Calvin. p. m. 938.* quæ cum Petro Lombardo, Magistro sententiarum, Præceptum, Consilium, Permissionem &c. faciunt, [*hinc in detorquendis dictis de universali gratiâ DEI apud Eruditum & modestum Petrum Jurium in Consultat. de Pace inter Protestantes ineunda frequens distinctio inter voluntatem DEI legislatoriam & decretoriam*] non est cur simus solliciti, magis enim in Theologicis pertractantur alibi, neque tam ad statum nostrum præsentem facere videntur, quum & ex confessione adversariorum hæc decre-

ta non necessitent & prædefiniant. Sic enim Spanhemius de Gratiâ p. 2246. *DEUS aliquibus concedit Verbum Imperativum officii, quibus non concedit aut concedere voluit verbum Operativum obsequii.* En convivia Haliogabalæa, scil. *DEUS* similis hospiti, qui iis, quos in speciem magnificè invitavit, nihil apponit, nisi vacua catina, aut quantum non satis sit fami propulsandæ, jubens nihilominus ut attingant & se saturant. Legatur & Clarissimus Noldius in *Leg. distingv. p. 50.* Sed addere liceat hoc obiter: Dividens semper continetur sub divisô. Jam verò voluntas signi [juxta explicationem Calvin.] non potest contineri sub divisô. Voluntas enim signi juxta ipsos est nolentia. E. *vid. Dannb. Hodosoph. p. 540.*

§. V. Misiss cæteris, quæ prolixè adhuc de naturâ & affectionibus decretorum divinatorum dicere potuissemus, ad concursum pergitur. In quâ materiâ omnium primò τὸ ὄτι vindicandum. Scrupulum, quem D. Braunius nobis formavit in *Doctr. Fœderum p. 791. sqq.* Concursum, Præcursum, determinationem significare motus Physicos, non curamus; nam idem urgemus de providentia. Communissimè apud Metaphysicos Scholasticus realis, nec Thomista, nec Scotista, sed utriusque adversarius Gulielmus Durandus, insignis aliàs Theologus, Episcopus Ecclesiæ Aniciensis, vel, ut alii volunt, Meldensis, aut juxta nonnullos, utriusque, & præprimis à Johanne Gersone Cancell. Paris. pro Doctore Resolutissimô habitus, quippe juxta Nicolaum à Martimbos Theologiam non spinosè, sed tamen acutè tractans, cui propter multas novitates & in Philosophiam & Theologiam introductas ille beatitudinem æternam disticho lapidi sepulchrali inciso dubiam fecerat:

Durus Durandus jacet hîc sub marmore duro:

An sit salvandus, ego nescio, nec quoque curo:

ut auctor negativæ sententiæ [sc. *DEUM* non concurrere proximè, immediatè, identificè & indistinctim ab operatione Creaturæ; aliàs enim concursum excellentiæ, universalitatis, mediatum, remotum, prævium, antecedentem, distinctum & reipsâ separabilem ab operatione Creaturæ lubentissimè admisit, quem & secutus Ludovicus à Dolâ in *Disp. Quadrip. p. 27.*] accusatur; ast licet hoc concedamus, ipsum fuisse strenuum ejus sententiæ defensorem; attamen neque hoc diffitendum, quòd illa Durando antiquior sit, cum ab Albertô, Henricô, Augustinô,

stinô,

stinò , aliisq; referatur : *vid. Disput. Metaphys. Jesuitæ Francisc. Suarez. Disp. XXII. Sect. 1. p. 550. col. 2.* Ejusdem erroris Heerboord *in Pneumat. L. II. Cap. XVII. p. 999.* Petrum de Aliaco incusat ; ast juxta Robertum Baronium *in Metaphys. p. 141.* hic statuit : DEUM omne facere. E. non negavit concursum DEI, sed hominis : admodum absurdè. Conveniant fratres Cadmæi post mortem ! Unanimiter e contra Heerboord ib. & Sam. Rhetorfortis, Professor in Andreapolitanâ Academiâ Scotiæ in *Disp. Scholast. Cap. XXV. pag. 371.* ut asseclam Durandi Ludovicum à Dolâ [cujus mentionem jam feceramus] Monachum Burgundum ex ordine Francisc. Capucinum recensent. Cùm verò per communem publicamq; operam reliquorum Monachorum hæc negativa impugnata, imò & prorsus sepulta, extra Papatum illam resuscitavit Nicolaus Taurellius, Professor quondam Noricus, in suo *Metaphysicæ triumpho & librò de Rerum æternitate* ; imò hic ulterius progressus : nam sustulit, etiam conservationem DEI præter concursum, quam tamen Durandus admisit. Aliàs Ludovicus à Dolâ & D. Thomam & Bonaventuram, & Doctorem irrefragabilem Alexandrum Alensem, & Petrum Aureolum Cardinalem ex Ordine Minorum, & Petrum de Aquila cognomento Scotellum, & Pelbartum Seraphici Ordinis Doctorem, & Nicolaum Binetum, ejusdem familiæ Seraphicæ egregium decus, quem Picus Mirandulanus magni æstimavit &c. pro Durando recenset pag. 266. l. c. & pag. 277. dicit, *se cum plurimis tum coràm, tum datis literis, Theologiæ Scholasticæ præstantissimis Magistris de præsentis quæstione disquisivisse, ipsosq; respondisse, se omninò persuasos & convictos esse, quod post definitionem Concilii Trident. Sess. 6. Can. 6. contentam nemini amplius liceat existimare, quod DEUS opera nostra omnia operetur concursu proprio & per se, immediatò, proximò & indistinctò.*

§. VI. Scilicet putavit ille in l. 2. Petri Lombardi dist. 1. quæst. 5. & in lib. 2. dist. 37. qu. 1. secutus in hoc juxta Slevogtum [si igitur assertio Slevogt. vera, quò jure Vinc. Contenson Ordin. Prædicat. Provinc. Tolosanæ SS. Theol. Doct. in Theol. Mentis & Cordis, Tom. I. L. 4. dist. 1. cap. 1. Speculat. 1. dicere potuit : Mirum est, eò Durandum post fidem non pervenisse, quò ante fidem Philosophia pervenit, & NB. in proximè antecedentibus locutus erat de omnibus Philosophis] Aristotelem, *vid. Disp. Acad. p. m. 642.* DEUM in prima creatione sufficientes

vires ad actiones quaslibet hominibus impertivisse, itaque non aliter DEUM concurrere dicendum, quam vim illam concessam primitus conservando; [quamvis non dissimulandum, quod & concursus DEI fieri statuerit applicando & generaliter movendo ad agendum, præprimis bonum in communi; consul. Ludovic. à Dola l. c. p. 250. 257.] unde & argumenta apposuit ad assertionem suam stabiliendam. (α) nulla potest dari ratio, cur cooperatio DEI necessaria, & si cooperaretur viribus antea sufficientibus, supervacaneum esset, profecto enim causæ secundæ non sunt instrumenta ab aliò elevanda, sed causæ principales; accedit, quod vos ipsimet scientiæ mediæ assertores statuatis DEUM in priori signo, præsupposito concursu generali, prævidere, in quam partem voluntas nostra inclinatura, antequam decernat identificè concurrere. Juxta Scotum verò inclinatio & determinatio voluntatis est ipsum agere ejusdem. E. dabitur actio, ad quam non necessarius concursus identificus. vid. Ludovic. l. c. p. 116. quod idem urget p. 153. contra illos scientiæ mediæ assertores, qui statuunt, DEUM consulere determinationem virtuales creatæ voluntatis. Et si quis Svarezii sententiam, quam ex Tom. I. Disp. Metaphys. Disp. 22. p. 118. recensuit, assumere vult, dicit, sic everti libertatem humanam, quod & urget contra Becanum pag. 134. (β) non implicat DEUM potuisse producere creaturam ejusmodi viribus instructam, quæ absque ope alterius effectum sibi proportionatum posset producere. Si hoc: probetur quod DEUS actu causam secundam, non ita creavit. (γ) Si DEUS agit immediatè ad actiones causarum secundarum producendas, aut aget eadem actione, quâ Creatura, aut aliâ. Atqui neutro modo. E. Probat posterius: Non eadem, nam hæc esset superabundans & supervacanea, quia causa secunda habet sufficientes vires, ut evictum; imò quod accedit, fieri non potest, ut duæ causæ utraqve immediatè & perfectè producant unam numerò actionem, nisi habeant eandem numerò virtutem, quæ omninò in DEO & creatura diversissima. E. DEUS imperfectè, & homo imperfectè operantur & partialiter, quod de DEO absurdum. Neq; etiam aliâ; nam aut actio DEI prius attingeret productum quam actio hominis, aut non. Si prius, tunc creatura nil ageret: si posterius, & actiones hæc diversæ sunt simul, & DEUS operatur unam partem, & creatura alteram, quæstio redit: An illud DEUS possit immediatè agere, quod homo immediatè

diatè

diatè facit; conf. & Slevogt. l. c. pag. 362. & omninò Ludovicum à Do-
 la in disp. quadrip. p. 22. qui perspicuè & accuratè hoc dubium propo-
 nit. Resp. ad I. (a) quòd concursus necessarius mox probabitur. (b)
 concedimus, causas secundas esse in suo genere principales; quæ verò
 consequentia? E. in actionibus sunt independentes à concursu DEI.
 Perinde ac si dicerem: Studiosus est causa principalis in suo genere:
 Ergò in eruditione acqvirendâ est independens ab informatione
 Dominorum Professorum. (c) iterum nulla consequentia. Non re-
 qviritur concursus identificus ad determinationem liberam prævisam.
 E. neqve ad actionem ex totò perficiendam: Perinde est ac si con-
 cluderem: Infans conatur progredi & mater ad illum conatum non
 cooperata. E. neqve adjuvatur in progressu ipsò. Determinatio sa-
 nè non est ipsa tota actio, sed, ut ità loqvar, initium ejus. Res non
 caret difficultate, fateor; in conflictu forsan ulterius de hâc re dif-
 ferendi dabitur occasio. Respondet ad II. Svarezius l. c. p. 552. quem
 & secutus Slevogt p. 646. 647. it. Baronius Calvin in Metaphys. p.
 146. imò repugnare, quòd creatura potens ad agendum independenter
 à Deò tum ex parte ipsius causæ creatæ, tum ex parte effectus ab illâ
 emanantis; nam cum sint entia per participationem, essentialiter
 quoqve illa dependere à primò Ente. Quapropter sicut non spectat
 ad divinam potentiam producere ens à se independens in Esse, ita
 nec producere agens à se independens in agendo. An verò hæc re-
 sponsio sufficiens, dubito valdè. Fingit enim Svarezius ac si planè
 independenter à DEO Durandus hominem agere statueret, quæ ta-
 men ejus mens non est, de quò mox plura, ubi affirmativæ senten-
 tiæ argumenta adducemus. Nos ità: Sit ad interim (vid. Rode-
 ric. de Arriaga è Soc. JESU Professor: quondam in Academia per-
 antiqva Prag. Disp. X. Phys. Sect. 1. Subsect. 3. pag. 272. col. 2 quamvis
 Ludovicus l. c. p. 331. dicat omnes suos adversarios possibilitatem hujus
 rei negare; sed NB. p. 341. contrarium fateri cogitur ex Mæratii Disp.
 Phys. X.) DEUM potuisse producere Creaturam ejusmodi viribus in-
 structam, ita ut tantùm per conservationem illarum, absqve concursu
 reali alterius, effectum proportionatum possit producere; Negamus
 verò sequelam. E. actu etiam ita creavit. Loca Scripturæ repu-
 gnant; quicquid sit de rationibus Philosophicis, de quibus omnibus
 paulò

paulò

paulò pòst. Respondeo ad III. (a) in genere: Cur v. Ludovicus tum
 P.I. Cap. II. p. 15. 16. tum Part. IV. Cap. XII. p. 359. falsus est, possibile esse,
 ut Deus concurrat immediatè, si vellet. Instas: ad actiones indelibe-
 ratas & ex objectò non turpes. Resp. sufficit nobis quod possibili-
 tatem agnoverit, alibi probabitur quod concursus immediatus neque
 deliberatis actibus obsit, & demonstrabitur, quomodo & ad actiones
 peccaminosas concurrat. (b) in specie: omninò juxtà Ruvium Svare-
 zium, Conimbricenses DEUS agit eadem actione conferendo esse,
 actioni causæ secundæ. Excell. Joh. Faustius in Disquisit. Theol. super
 dictum Actorum XVII. v. 28. p. 27. rem ita illustrat: Apostoli dicuntur
 Cooperatores DEI in miraculis & conversione hominum: est effectus
 unus, actio una, una potentia, & tamen duo agentia. Si verò instas:
 Collatio τ& Esse quoad actionem quæ DEO competit, & quando
 postmodum causa secunda aliâ actione producit suam actionem non
 est eadem actio; Respondet Baronius l. c. pag. 151. legatur & Ludovic.
 in Disp. cit. P.I. Cap. II. p. 19. Sit status conversionis clarior: Unus idem-
 que effectus hominis procedit & à causâ primâ & à secundâ. Re-
 spondeamus tamen ad probationem posterioris: Concedimus causas
 secundas habere sufficientes vires in suò genere & causalitate, & esse
 causas principales; sed negamus consequentiam. E. si eundem effe-
 ctum & operabitur DEUS, DEUS superabundanter, supervacaneè aget;
 quando enim causæ secundæ dicuntur habere vires sufficientes, con-
 cursus DEI præsupponitur. Aliàs si vires sufficientes excludunt con-
 cursum DEI, nego quod homo sufficientes vires habeat vid. Burgers-
 dic. Metaphys. Instituit. L. II. Cap. XI. p. 306. Instabis: Si DEUS concur-
 rit ad actiones naturales & supernaturales, & æque totum actum ope-
 ratur ut homo, dicendum in posterum erit: E. DEUS loquitur,ambu-
 lat, comedit bibit, credit, S Coenâ utitur, ut Catechumenus respondet
 &c. Respondetur negando consequentiam: DEUS enim est causa uni-
 versalis indifferenter se habens, eademque virtute concurrens ad omnes
 creaturarum actiones; quia igitur determinatio concursus, uti in sub-
 sequentibus dicitur, & sic specificatio (quicquid sit de individuatione)
 actionum ipsorum hominum; (hæc servitus enim, ubi Creator servit
 Creaturæ, DEUS, homini non est impossibilis & absurda, uti putat Con-
 tenson pag. 715. ipse enim sui oblitus pag. seq. dicit, in actionibus malis
 caulam

caulam

causam secundam obliquare & detorquere primam, ut DEUS secundum scripturam servire iniquitatibus hominum dicatur. O quam absurde citantur fontes ex Cap. 44. Es. v. 24. recte Ludovicus à Dolâ l. c. Cap. 16. p. 406. exhibilat hæc omnia.) E. justè actiones hominibus, & quidem quoad denominationem, solitariè adscribuntur. Jacobus Revius Deformator, Repurgator volebam dicere, Svarezii, extra rhombum locutus: *Si DEUS concurrat, excitabit hominem agentem, & actio proveniens ex illâ excitatione erit effectus. Jam v. quomodo causa efficiens & effectus poterunt esse unum?* Resp. (α.) proba quod concursus excitatio. (β) sit ita: Jam DEUS ulterius voluntati excitatæ cooperatur unâ eademque actione. (γ) quarit Dn. Faustius *καὶ ἀνθρώπων*: annon præ-necessitans DEI auxilium & homo unam eandemque actionem operentur? pag. 24. Sed ad rem iterum. Quod ulterius dicitur: impossibile esse, ut duæ causæ, utraqve immediatè & perfectè, producant unam eandemque numero actionem, nisi habeant eandem numerum virtutem; negant hoc Metaphysici de agentibus essentialiter subordinatis in naturâ & causando, & dicunt confundi sic causas inadæquatas & partiales cum adæquatis & totalibus. vid. Slevogt l. c. p. 647. [Si ita velles assertionem Metaphysicorum relatam infringere: Si juxta superius concessa vires causæ secundæ non sufficientes, si concursus DEI excludatur, sequitur, quod causa secunda non causa adæquata & totalis: ad resolutionem dubii in ipsâ disputat: nos obligatos hinc publicè fatemur. Quis enim omnes minutias vellet apponere?] *conf. & Robertum Baron. l. c. p. 147. & Joh. Faust. l. c. qui verba Slevogti citavit p. 15.* Nobis jam sufficit assertio Ludovici, quam supra adduximus ex pag. 15. concedens possibile esse, ut DEUS NB. immediatè & identicè ad actiones indeliberatas & ex objecto non turpes concurrat. Tenemus firmiter hunc reum confitentem, & quidem longè meliori jure, quam lectores studiosos innocentes. De cæterò & Arriaga l. c. p. 272. resolvit argumentum: Si causa prima concurrat cum secunda, utraq; erit causa partialis. Nequit autem DEUS esse causa partialis, quia dicit imperfectionem; ubi tamen paulo aliter procedit, concedendo, DEUM esse causam partialem, & tamen imperfectionem exinde propullulare negando, ac instantiis Durandum urgendo, quæ ibi legantur.

§. VII. Multa sanè restarent, quæ cum Ludovico ex disp. ejus eruditè,

rudité, solidè & perspicuè consignata, nobis hîc ventilanda. Putat passim infallibile argumentum contra nos esse, quamvis cum summâ modestiâ: unde pag. 26. *Salva tamen sit adversariorum dilectio, & honorificentia, quorum non sum dignus, corrigi à calce amenti solvere; conf. & p. 75. 58. & 296. omninò.* Et licet principaliter intelligat Fratres sibi contrarios, discamus tamen exinde & nostros in Christo Fratres alicubi errantes non scurriliter traducere: Si DEUS concurrit in tempore concursu identificò, indistinctò &c. sequitur, quòd DEUS etiam ab æternò ita decreverit concurrere. Majorem promittit probandam p. 87. in II. Part. Cap. XII. & XIII. Si decrevit ita concurrere, difficile est, quomodo sic defendi possit libera hominis inclinatio. Resp. (a) Si concursus identificus in tempore non tollit libertatem, sequitur, quòd multò minus decretum ejusdem. (b) Tu concedis p. 410. voluntatem DEI immediatè & directè velle omnes operationes creaturarum, [exceptis pravis] E. & illa voluntas necessitabit actiones. (c) Sit processus talis: Ego video Petrum, si constitueretur in his vel illis occasionibus & conditionibus, ad Apostolaturn vocari posse; igitur prævisâ ejus liberâ inclinatione, concursum meum ipsi non denegare decerno, quid absurdi? quæ difficultas demonstrationis, quòd voluntas, positò hîc decretò, maneat libera? & profectò in actionibus supernaturalibus passim Ludovicus hunc processum admittit: Si Petro qualitatem vel habitum supernaturalem concederem, poenitentiam esset acturus. Atqui volo; E. Instat: juxta vos homo ne digitum extendere potest, nisi concessò concursu identificò: E. homo se non poterit prius determinare, nisi adsit simul ille concursus. *conf. p. 110. 122. 115. ubi asserit, juxta vestrum principium, si non adest concursus identificus, tam impossibile est creaturæ operari aut se inclinare, ac si planè esset annihilata: & pag. 113. prævisa illa inclinatio, si non adsit concursus identificus, juxta vestram hypothesein est de impossibilibus & repugnantibus. E. concursus decretum non potest sequi. E. adhuc difficulter explicari poterit, quòd hîc concursus non tollat libertatem; quòd ulterius urget p. 86. ubi ita: positis omnibus ad agendum requisitis, inter quæ etiam decretum efficax concurrendi, voluntas mea non potest amplius actionem illam omittere &c.* Resp. (1.) Domine, sic idem quoad rem sentiremus cum Prædeterminantibus; at p. 95. ipse fateris, quòd inter Prædeterminantes & scientiæ mediæ assertores sit contradictio è regione;

ne;

ne; forsan dices, nos esse Condeterminantes, illos verò Prædeterminantes, uti *p. 108.* de hoc cum Rhetorforte agemus in §. XV. hujus Capituli. (2.) tria momenta juxta scientiæ mediæ assertores in hâc materiâ benè sunt distingvenda; in primo puncto DEUS decernit concursum generalem voluntati nostræ præbere, nondum tamen definit, qualis aut cujusmodi specificæ aut numericæ differentiæ futurus sit concursus nobis exhibendus, sed expectat [juxta verba Svaris] liberum usum voluntatis humanæ; in secundo DEUS prævidet, in quam partem voluntas nostra inclinatura, si in tali vel tali conditione poneretur; in tertio DEUS decernit efficaciter cum creaturâ concurrere, prout in secundo puncto vel momento creaturæ inclinationem præviderat. E. juxta hanc hypothesin respondere possemus negando, quod ad determinationem requiratur concursus strictè sic dictus, qui est aliàs ad ipsam actionem continuam; statuit enim Svarez præsuppositò tantùm concursu generali, [quamvis omninò & adhuc maxima ambiguitas, quid sit concursus generalis, an conservatio virium tantùm & excitatio aliqualis, an verò aliquid plus?] DEUM ex supercomprehensibilitate omnipotentissimâ & abstractione omniscientissimâ prævidere, ad quodnam voluntas se determinatura, antequam DEUS specialem concursum decernat. E. nobis non est de impossibilibus determinationem concipi posse absque concursu illo singulari & speciali. (β) condescendamus, requiri etiam ad determinationem dictum illum concursum singularem & identificum, neque DEUM posse prævidere determinationem, nisi sub hypothesi: Si concursum meum homini non denegarem; Respondemus tum indirectè: Atqui Apostoli in perpetracione miraculorum & Thaumaturgi Papæi atque Confessarii habent concursum singularem & identificum. E. non liberè perpetrant miracula & peccata remittunt. Cur igitur tantoperè miraculis suis gloriâtur contra Lutheranos? Necessarium non est virtuosum in statu viæ: tum directè; nondum probatum est, quod duorū agentium identificè unum nō possit liberè agere. (γ.) Breviter: Est paralogismus: Si DEUS concurreret in his vel illis circumstantiis ad determinationem, illa non esset libera; perinde ac si quis concluderet ex tuâ hypothesi: Si Judam conservarem usque dum Filius meus ex mortuis resurrexerit, vel Spiritus S. visibiliter super reliquos Apostolos effusus fuerit, converteretur: E. conversio esset irresistibilis

bilis, quamvis sciam quod abstrahas ab actionibus supernaturalibus. Cur non ita? Si DEUS concurreret ad determinationem, homo semetipsum ex statu indifferentiæ poneret; E. concursus DEI ad hanc determinationem requiritur. Nulla v. consequentia: Requiritur; E. necessitat. Castitas requiritur ad statum Monachatus: Ergone ullum ex vobis necessitavit ad hunc statum? Objicit ulterius *p. 145.* Si DEUS prævisâ hominis inclinatione ad malum concurrat, verè peccatum illud DEO volenti attribuetur: Resp. proba. Probat: debuit enim succurrere homini misero, non verò dæmoni & libidini cooperari, e. gr. in adulteriô committendo: & profectò sic homo de DEO poterit conqueri, quod saluti suæ quasi insidiatus fuerit, & quod illum implanarit, cum deberet potius à ruinâ labentem impedire. Resp. quod impedimentum concernit, cape hanc instantiam: Judex ante fores vel lecta meretricum & adulterorum lictores non constituit, & hóc vel aliò modo libidines igne sempiternò luendas impedit. E. implanavit ejusmodi maleficos, & jure non potest punire. Sufficit quod homo ejusmodi viribus instructus, quibus si benè usus fuisset, à determinatione ad malum potuisset abstinere. (2.) DEUS non tenetur impedire, aliàs cultus evaderet coactus, quem Ens liberissimum non curat. (3.) Si DEUS succurreret homini huic misero ad malum inclinanti, aut ita succurreret, ut vel malitia ad malum inclinans obtineret contra concursum divinum, aut ut malitia infallibiliter superaretur; Posterius auxilium esset juxta adversarios efficax, & tolleretur juxta nos libertatem, prius verò nihil prodesset. E. omnia frustra dicuntur. Instat: DEUS tamen sic reverà manebit Coadjutor peccati. Neque difficultas tolletur per id, quod hic concursus præsupponat scientiam DEI, ubi juxta aliquos ante decretum concurrendi prænovit, quid voluntas nostra operatura, si sola operari possit, quam sententiam refutat *p. 170. & pag. seqq.* dicit: Perinde est ac si dicerem: Scio Petrum post horas aliquot semet ipsum, occisurum: E. ipsum hâc horâ occidam, & ita præveniam; sanè ab homicidii crimine absolvendus non essem: neque dubio satisfiet per id quod dicatur peccatum formaliter in privatione seu defectu consistere, jam verò DEUM non posse deficere. Plurimos enim non improbabili- ter statuere peccatum formaliter esse ipsum actum positivum prohibi- tum, qui suamet entitate sit inordinatus & pravus; & licet conceda-
tur

tur, peccatum formaliter in defectu consistere, dandam tamen esse rationem, cur homo sit causa defectus & non DEUS quoque. Hominem fieri causam malitiæ moralis, quia liberè efficit fundamentum positivum malitiæ s. actum materialem privationi substratum, communiter asseritur. Atqui DEUS eundem actum liberè efficit. Cæterum quando Sancti dicunt peccati esse causam deficientem & non efficientem, illud non simpliciter accipiendū, quum hoc tantum intendatur, nos non tam debere sollicitos esse de investigandis causis efficienter influentibus in nostros actus, quàm expiandò defectu nostrò per humilem pœnitentiam p. 337. Neque etiam DEUM posse excusari quod non concurrat solus (*cur non potius quod agat solus*; concurrere enim est terminus relativus) sed simul cum Creaturâ & ad exigentiam creaturæ, cum tamen ipse mallet oppositum. Nam licet homo peccaturum minis aut precibus deterreret, videns tamen se nihil proficere, nihilominus postea concurrat, ille profectò à scelere non liber erit. p. 338. Neque etiam nodum solvi dicendo, DEUM in hoc concursu uti jure suo, quippe jus fingi. Ponit hunc casum: Si alicui supremo Angelo tantam DEUS virtutem concessisset, ut ad omnes actus reliquorum Angelorum immediatè & proximè concurreret, positò quod DEUS non exceperit actiones malas, tamen si ad easdem concurreret e. gr. ad blasphemationem Dei, jure suo abuteretur. p. 340. Neque scopulos feliciter superari per assertionem, DEUM non potuisse vitare cooperationem immediatam, quippe cum ab æternò legem sibi posuerit ita concurrenti. Dimittendam potius fuisse gubernationem totius mundi, quàm fanciendam legem talis concursus, qui peccaminosus p. 341. Dixerat Theophilus Raynaudus DEUM, quia concurrat eodè modò ad actum cum est malus & cum est bonus, non concurrere ad mali formale, sed materiale tantum. Replicat v. Ludovicus, peti sic id quod in principio. Neque etiam difficultatem extricari per illud, quod determinatio sit à causâ secundâ ad speciem, non verò à DEO. Voluntatem enim se non posse determinare, nisi DEUS concurrat, neque posse concipi, quid DEUS prævideat, ut concursum potius ad odium hoc, quàm amorem concedat; imò juxta propriam nostram concessionem DEUM ad individuationem odii determinare. Quod v. DEUS ipse juxta nostram hypothesein determinet ad specificationem actus, probat p. 347. 348. It. ut cætera taceam, objicit

tandem: Si implicat contradiotionem, ut Verbum permittat in naturâ hypostaticè sibi unitâ actum materiale peccati, tametsi involuntarium, multò minus tota Sacro sancta Trinitas producet proximè & immediatè actum pravum in naturâ. Ratio: quia causa proxime efficiens & immediata plus magisque influit in actum, quem effectivè producit, quam subsistentia & personalitas influat in actum, qui producitur à naturâ per hujusmodi personalitatem sustentata ac terminata &c. Subsistentia n. non est principium activum nostrarum operationum &c. p. 351. & quando incipit Partem III. dicit *Cap. I p. 195.* Assertores scientiæ mediæ in dies quidem novos modos defendendi concursum immediatum fingere, sed absque fructu. &c. Resp. (α) in genere, positò quod hæ omnes rationes plausibiles imò insolubiles, negaremus tamen conclusionem in argumentò, quia contradicit Scripturæ *Psal. 5. v. 5.* vid. h. l. vindicatum *apud Slevogt in Disp. Moral. p. 755.* & *apud merentissimum & laboriosissimum Theologum Dn. D. Joh. Adam: Osiandrum, quem Venerabilem Senem DEUS Ecclesiæ servet, in Syst. Majori P. I. Loc. VI. p. 45.* Argumenti Major ab impiis eque possit infringi: At qui scortator non delectatur spuriò natò, & sanguinea meretricum manus liberici diò maculatæ idem evincunt: E spurium non genuerunt. Lim. igitur Majorem: *Qvic. ut sanctissimus* non delectatur &c. Instas: Mitatur igitur concursus identificus. Resp. non possumus illum missum, facere propter Scripturam. (β) de priori exceptione ex parte paulò ante locuti sumus, illud saltem addere hîc liceat, quod tu fingas concursum occurrentem liberum arbitrium: E. nulla consequentia: Præveniens *αὐτόχρησα* intentionalem ab homicidiò absolvi non potest: E. neque DEUS concurrens ad actum vitiosum. Videt apertissimam discrepantiam: Ejusmodi homicida non concurret, sed solus sanguinem fundit; nos verò loquimur de concursu. Instare poteris: Neque ille à crimine liberabitur, qui cum *αὐτόχρησα* & gladiò propriâ malitiâ immisso simul jugulum petit. Resp. Benè! Mutas igitur sententiam, & recedis ab illustranti suprâ dato: infrâ, quando differemus de actionibus, concedemus, DEUM concurrere etiam ad materiale proximum actum vitiosum, & tamen cum Baroniò rationem suppeditabimus, cur DEUS à ratione formali peccati liberrimus: quia sc. determinatio specifica actus vitiosi competit non DEO, sed impio homini. Quod secundam.

exce-

exceptionem concernit: sit ita, peccatum formaliter esse ipsum actum
 positivum prohibitum, attamen ad illum homo iterum se determinavit,
 & nego, quod DEUS ita liberè efficiat actum ut homo; nam concur-
 sus ejus detorquetur. Quod tertium attinet: quæritur aliàs, an in pace,
 treugâ aut induciis paciscendis juramentum sit exigendum à Principe
 infideli; & Tu ipse respondes *pag. 360.* quod sic: quia pactorum fide-
 litas in hōc casu exigatur, non divina injuria; mallet enim talis, ut alter
 per verum DEUM juraret, quod peccatum non esset; cur igitur, Domi-
 ne, tam asperam putas responsionem, DEUM posse excusari in actibus
 vitiosis, quia ita concurrat, ut mallet oppositum? Urgebis: Exigere &
 Concurrere sunt distincta, & posterius plus dicit. Resp. ad minimum
 ille, qui à Turcâ juramentum per Mahomet exigat, erit causa moralis
 idololatriæ, quod nobis sufficit; ast tu non concedis: nam proculdubio
 in verbis subsequētib; Si tamen induceret ad actum, qui non potest
 omninò fieri absque injuriâ Creatoris: per verbum INDUCERE intelli-
 ges determinationem; si enim postulationem tantum, tibi contradice-
 res: Si igitur exactor juramenti per idolum nullò modo obnoxius sit
 peccato, quia mallet oppositum; cur non idem de concursu DEI dici
 poterit? Ad quartam dicimus, omninò DEUM uti jure suò: & Angelus
 etiam in dictò casu uteretur jure suò. Dicis: lege naturali Angelus pro-
 hibetur ad odium & blasphemationem DEI concurrere. Resp. nego;
 sed ad blasphemationem formalem proferendam & ad illam se determi-
 nandam, quod Angelus non faceret qui concurreret, sed alter, qui ad
 hanc malitiæ speciem se determinavit. Quod ulterius dicis: Melius es-
 set, ut talis Angelus qui se determinat ad blasphemationem & odium
 DEI in æternum otiosus relinqueretur, illud itidem negatur; præsertim
 si consideremus naturam libertatis & justitiam DEI punitivam; deinde
 cape instantiam: Melius etiam esset, si DEUS peccatores non conserva-
 ret. Ad alias exceptiones *p. 340.* adjunctas jam non possumus responde-
 re; materia enim præter spem crescit. Quinta potest intelligi ex dictis.
 De Raynaudi sententiâ jam non prolixè disquiremus. Septima verò
 jugulum nostrarum responsionum petit, quod fatemur. Respondemus
 tamen (1.) verum est, voluntas se non potest determinare, nisi præsup-
 positò concursu generali. (2.) quærimus ex Ludovicò, quâ ratione
 DEUS ab æternò potuerit prævidere & scire, quod Petrus abnegatio-
 nem

nem

nem Christi ardentissimis lachrymis deploraturus & postea ad Regen-
 tem Ecclesiae universalem & Patrem Paparum constituendus? (3.) quod
 determinationem ad individuationem concernit, non diffiteor, rem es-
 se difficilem, & mallet si negativa, cum pace tamen aliorum, assumi
 posset; melius n. Sanctitas DEI mihi sic defendi videretur. (4.) quod
 nos determinationem ad speciem actionis & DEO assignare debeamus,
 probat hoc argumentum: Si DEUS nobis operabundis cooperabitur i-
 dentificè & immediatè, determinabit ad speciem actionis. Probat:
 Actio quæ per nullam potentiam fieri potest à me solò, distingvitur
 plus quàm numerò ab illà, quæ fieri potest à me solò: at illa actio quam
 DEUS mecum efficeret talis est, ut per nullam potentiam fieri possit à
 me solò; igitur actio, quam DEUS mecum efficeret, distingvitur plusquàm
 numerò ab eà, quam ego solus efficerem? quæ a. distingvuntur plus-
 quàm numerò, certum est, ea distingvi specie, saltim Logicà. Resp. in
 argumento principali nego consequentiam. Ad probationem dico
 (1.) ad summum nihil aliud probari quàm actiones ipsas reddi specie
 distinctas, dum quis solus & cum aliò agit: Nulla verò illatio firma:
 Actio quam homo solus perficeret, & actio ad quam concursus DEI re-
 quiritur, specie sunt distinctæ. E. DEUS determinat ad speciem. (2.)
 maxima est ambiguitas in vocabulò speciei, quam ipse innuis, dum di-
 stingvitur inter speciem Logicam & Physicam &c. Solvatur modò
 quæstio, an e. gr. in actionibus virtuosis formale speciei sumatur ab ob-
 jectò, an verò à causâ efficiente; si à causâ efficiente, sequetur quod Pe-
 trus castè & comiter vivens efficiat unam specie actionem, quod falsum.
 E. ab objectò; si igitur homo se determinavit præsupposito concursu
 generali (en casum illum per impossibile, quod homo solus operaretur,
 nos non fingimus & assumimus) ad aliquod objectum s. bonum s. ma-
 lum, & DEUS postmodum singulariter concurrat, non mutatur actio re-
 spectu speciei, quia concurrens tendit ad idem objectum. Ad illam ob-
 jectionem: λόγος nullum actum materiale peccati in carne assum-
 ptâ potuit tolerare & permittere: E. S. S. Trinitas non concurret effecti-
 vè ad actum peccaminosum: Resp. esse maximam discrepantiam, quia
 humana natura intimè est assumpta in hypostasi τῆς λόγος, & quæcun-
 que actiones erant humanæ naturæ in proprietate ejus, verè etiam pro-
 pter gratiam unionis de DEO dicebantur, adeò ut si e. gr. Christus co-
 mederit

mederit

mederit & biberit, & λόγος simul in determinatione fuerit occupatus; aliter verò sese res habet in concursu, ut per se patet. Illa oppositio ne nuce causâ digna: Qvies septimò die quievit ab omni opere, ille non immediatè concurret. Atqvi DEUS &c. E. Resp. subsumo: E. etiam non mediatè concurret. Si n. concurret, quomodo quiescit ab operibus recensitis Cap. I. Gen. Atqvi facultas agendi, cui concurret, nil novi. Atqvi hic concursus, dum Petro concurret, in primis sex diebus non productus. (3.) Vincentius Contenson l. c. p. 295. eleganter loquitur: Quiescit ut Rex post provinciam variis bellorum motibus acquisitam, tametsi illam quotidiè administret. Aliàs communissimè rationes Ludovici contrahunt in hoc argumentum: Qvæc. sententia est unicum medium litibus tollendis idoneum, quæ tot annos inter Dominicanos & Jesuitas agitantur (*legatur Excellentissimus Rudrauff in Institut. Metaphysicis p. 856.*) de ratione concursus divini, de naturâ libertatis humanæ, de sanctitate DEI, de scientiâ mediâ &c. illa omninò est assumenda. Atqvi Durandi &c. E. Resp. Perinde est ac si dicerem: Qvæc. ratio est unicum medium controversiam tollendi circa obscurissimū aliquem locum decretorum Tridentinorum multoties ænigmati non dissimilium, illa & apprehendenda. Atqvi furiosâ delere liturâ locum illum &c. E. Regeres: nego quod sit unicum medium, accedat quippe collatio antecedentium & consequentium, aliâque legitima interpretationis mediâ. E. habeas eandem responsionem.

§. VIII. Quæstione illâ sic absolutâ, an sit concursus DEI (*nam licet eum adversarii juxta principia domestica quoad verba admittere videantur, nihil minus tamen est quàm concursus*) dicussisque leviter argumentis Durandi & sequacium, probandum nunc erit quod sit, quamvis in datis responsionibus ad objectiones propositas id ex parte præstitisse videamur.

§. IX. Antequam a. illud faciamus, & modus concursus divini omninò præsupponendus erit, quum argumenta plurima ad existentiam ejus spectantia, & illum respiciant. Durandus cum suis asseruit, concursum, si admittendus in actionibus liberis (nam ad actus, qui neque liberi, uti in motibus primoprims contingere solet & aliis, ut e. gr. si homo miraculosè assumeretur ad Angeli vel lapidis productionem, concursum identicum & immediatum procul dubiò admittet cum

D

Ludo-

Ludovicô à Dolâ p.438.) consistere in conservatione essentiaë & potestatis ad agendum concessaë; ast rectè *Burgersdicius in Institut: Metaphys. L. II. Cap. XI. p.305. dicit, Durandum de S. Porciano sic confundere conservationem cum concursu; addit Heerboordus: & juxta Durandi sententiam erit sic in rerum natura aliquid independens à DEO, quod nobis tamen inconsequens videtur. Nam & sic actiones dependebunt à DEO respectu virium ad agendum non solum datarum, sed & conservatarum. Alii voluere concursum DEI consistere in volitione simpliciter; ast rectè *ibid.* Heerboord refutat hoc (*p. sc. 68. n. 11.*) nam confunditur sic decretum concurrenti cum ipsô concursu, vel ut Scholastici loquuntur, confunditur *concurfus ad intra cum concursu ad extra*; vel ut alii; confunditur *concurfus per modum actus primi vel per modum conditionis prerequisite, l. concurfus per modum principii cum concursu per modum actionis.* Alii volunt concursum DEI in virtute aliquâ superadditâ ad agendum consistere. Ast & hoc rejicitur; ratio: quia vires sufficientes concessit ad actiones naturales; an verò ex hâc sententiâ progressus in infinitum sequatur, uti vult Heerboordus p.70. num.5. disceptari posset. Quidnî enim DEUS posset dare ejusmodi vim, quæ specialem concursum postea non requireret. Anne propterea implicaremur cassibus Durandi? Alii volunt concursum DEI in svasione, in motione rerum creatarum, vel in causarû secundarum excitatione (quod & malè applicant ad conversione in spiritualibus) ponendû. Ast hæc sententia minus quàm par est, dicit. E. alii & quidem communissimè volunt concursum esse influxum positivum, quem DEUS immediatè præbet ad effectum causæ secundæ, non solum *immediatione virtutis sed & suppositi*; & NB. licet quidam, nobiscum aliàs sentientes, dicant, DEUM concurrere *mediatè*, at tamen nihil aliud volunt, quàm DEUM admittere *concausam vel causam sociam & consortium alterius agentis.* Aliàs h. l. illud monendum quod & Ludovicus à Dolâ, qui tamen de cœterô gravissimus & Achilleus noster adversarius phrasin D. Thomæ: DEUM operari nobiscum *immediatione suppositi & virtutis*, p.249. l. c. admiserit, sed planè aliò sensu, qui ibi legatur. Quemadmodum sc. in demonstrationibus primum principium dicitur immediatum, sanè non respectu *conclusionis* (multa enim adhuc intercedere possunt) sed respectu *alterius principii superioris & prioris, quod nullum est ib. p. 260.* quod illustrat exemplô productionis hominis,*

nis,

nis, in quâ DEUS, Sol, & homo concurrunt, *conf. & p. 264. & 319.* Dicis: Slevogt negat DEUM concurrere motione physicâ, Resp. negat talem motionem & actionem physicam, qualis est causæ principalis respectu instrumentalis, non verò primæ respectu secundæ *p. 675. legatur omninò idem p. 359. & Dn. Faustius in Disp. ad Act. XVII. p. 15.*

§. X. Quod verò sit omninò talis concursus, probant eqvidem communiter argumentis ex ratione petitis; ast mirum tamen nobis hoc videtur, quod Svarezius argumentum ab auctoritate primum esse jussit cum fiducia *Disp. Metaphys. 22. p. 551. col. I.* (Scilicet consensus Sanctorum, o quantum principium! intelligo Sanctos Pontificios) cum è contra Slevogt *p. 363.* idem illud eqvidem urgeat: Quicquid omnes fermè Patres, Theologi, Philosophi & Scholastici præter Durandum aliosque paucos (hoc negat Ludovicus P. IV. *Disp. quadrip. & dicit plurimos Patres pro Durandò esse, & positò etiam quod verum, dicit tamen p. 300.* cum Navarrò, non esse ad modum laudandos eos, qui diligentiores sunt in computandò Doctorum numerò, quàm in librandis ponderandisq; eorum rationibus, quod retorquere possumus in ipsum, nam *p. 277.* omnes Patres Tridentinos, Platonem, Aristotelem, Armacanum, Petrum Pomponaciù, Rayneriù de Pisis &c. pro se citat,) quos facili negotiò numerare poteris, statuere, illud moraliter est probabile: ast tamen aliis argumentis sententiam fulciendam putet, quæ recensibimus; cum modestia, quæ nostram ætatem decet, ab illis communissimis nequaquam recedere jubeat.

§. XI. Primum est: Sicut se habet res creata in Esse, ita & in operari. Ast creatura dependet à DEO & dum esse accipit, & dum illud retinet, utrumque per actualem DEI influxum: E. & tali modò dependet à DEO dum operatur. *P. 66.* probat Heerboord, qui videtur in hoc secutus Svarezius *l. c. p. 551. seqq.* majorem propositionem communi illò axioma: *modus operandi sequitur modum essendi;* quod Aristoteles tanti fecerit, ut exinde intulerit: Si anima potest operationes edere absque corporis dependentiâ, est separabilis. Omni silentiò tamen comprimere non possumus, quod Ludovicus multa plausibiliter cõtra illud axioma: Operari sequitur Esse: regesserit *p. 440. (a.)* retorquendò in suos adversarios: Modus operandi sequitur modum Essendi. Atqui Esse hominum est realiter distinctum ab Esse DEI. E. & operatio hominis di-

ffingvetur realiter ab operatione DEI. E. ad actionem hominis non necessario requiretur actio DEI identifica. (b.) Operari imitatur Esse: concedit proportionem aliquam, universali negat. Dat instantias: Calor immediatè est ab igne: & tamen calefactio nō est immediatè ab eodem. Sic lux immediatè est à sole, & tamē illuminatio non est immediatè ab eodē. Intellectio est immediatè ab intellectu, & tamen productio habitus ab intellectu immediatè non pendet. (c.) Axioma ita esse intelligendum: Uniuscujusq; rei operatio præsupponit illius existentiam actualem; Vel operationes diversæ arguunt diversas essentias: v. gr. ridere aliud Esse requirit, quàm quidem rudere; & citat pro explicatione hujus axiomatis Gratianum in *Axiomat. Philosoph. lit. O. conf.* & Arriag. in *Cursu Philosophicō p. 271.* unde & in *Cap. ultimō n. 1. p. 447.* rejicit illud argumentum: Si creatura naturali virtute potest operari sola DEO non concurrente & suppeditante quidpiam à se distinctum; valde probabile erit, quod possit per potentiam DEI absolutam producere seipsam sola, aut saltem conservare. At si hoc verum est; non poterit DEUS creaturam annihilare, quia ipsa seipsam conservabit, & resistet DEO volenti ipsam destruere, & poterit gloriari de suâ existentia, quæ omnia absurda. Aliqui ita limitant axioma: Si Creatura immediatè dependet à DEO in Esse. E. & in Operari sic dependebit à DEO *ut permittente* concedunt, *ut coefficiente*, negant. Cur non clariùs ita explicant axioma: Modus operandi sequitur modum Essendi. Atqui modus Essendi est dum DEUS concessit vires ad agendum sufficientes, quas & sustentare vult. E. & sic actio peragitur per sustentationem nudam virium: Vel *juxta Ludovic. à Dolà*: Atqui non omnis causa creata dependet in suò Esse à DEO proximè & immediatè producente & conservante: E. neque effectus proximè à DEO erit *p. 418.*

§. XII. Secundum argumentum Svarezius valdè probabile dicit *l. c. p. 552.* & Baronius *l. c.* idem proponit *p. 144. argum. 5.* & habetur apud Ruiz. *de Provid. DEI D. V. Sect. II.* Si facultas causæ secundæ semper indifferens ad plura individua, neque semetipsam determinare potest ad effectum in individuò & particulari, ut loquuntur; firma ratio hujus dari non poterit, si voluntas hanc actionem eliciat, nisi DEI concursus immediatus concedatur. Quod antecedens concernit, probare conatur illud Svarez. *Diss. 5. Metaphys. de principiò individuationis.* Arriaga

riaga

riaga in *Disp. Physic. 10.* dicit, hoc argumentum nullam vim habere; & Ludovicus à Dolà *P. IV. Disp. Quadrip. cap. 18. p. 429.* multa objicit. (1.) hæc assertio, quòd DEUS per scientiam mediam prævideat inclinationem causæ secundæ ad hanc specie actionem, si per possibile aut impossibile operaretur sola, & postmodum determinet ad individuationem, & hanc numerò actionem, tollit libertatem humanam, [*cur non etiam addit sanctitatem DEI*] (2.) est in conceptibilis. Si enim res est in specie, erit & in individuò & numerò; jam si DEUS prævidit aliquem effectum hominis, posito per impossibile aut possibile, quod solus operaretur, prævidebit & individuationem illius effectus, cum in eodem effectu vel actione specificatio & individuatio non sint duæ distinctæ entitates, sed unica, *p. 431.* jam contradictionem involvere, DEUM, prævisò, quod creata voluntas actum talem in specie exercitura erat, determinare individuum illius actus rationem *p. 430.* cum impossibile sit, ut, si DEUS prævideret hominem producturum hanc specie & numerò actione, si solus operaretur, & postmodum ad individuationem determinando concurreret in tempore, una specie & numero actio maneat, *ib.* Cur enim determinatio individuationis non referri posset ad naturam ipsiusmet agentis, ita ut ex se & suis conditionibus individuantibus, aut saltem ex aliquo principio intrinsecò id habeat, ut ex actionibus ejusdem speciei potius prorumpat in hanc, quàm illam. Jam verò si actio salvari potest per causam secundam respectu individuationis, non necesse est, ut recurramus ad primam. Neque hoc importare nimiam perfectionem creaturæ; nam si non est nimia perfectio determinare se ad hanc specie actionem, neque determinatio individuationis eandem importabit. Vel: poterit determinatio individuationis esse ex immisò habitu aut actu primo, qui potentiam ex se indifferentem, respectu plurium actionum similium, ad unicam quasi inclinaret, ita tamen, ut nullam vim habeat, nisi ad nutum voluntatis. Nam sicut DEUS nobis concessit habitum inclinantem ad certam speciem actus; ita & poterit concedere actum determinantem ad actum individuum. Imò Arriagam *l.c. Disp. X. Phys. Sect. I. Subsect. 2. p. 271. n. 16.* falsum esse, hoc argumentum ab individuatione petitū nihil concludere pro concursu immediatò, & dubium ita solvendum esse: quemadmodum creatura dependere potest à permissione DEI, tanquam conditione necessariâ, ut operetur, tametsi

tametsi DEUS immediatè non concurrat : ita potest etiam quoad individuationem dependere ab eo , quod permittat hoc potius individuum, quàm aliud. Quid quod communis Thomistarum doctrina sit, quàm & P. Vasquez cum aliis secutus, individuationem determinari à circumstantiis loci, temporis, passivi &c. & sic non necessariam esse individuificam determinationem DEI.

§. XIII. Tertium, quod communiter profertur, est : Sententia, quæ DEUM immediatè concurrere dicit, & pertinet ad amplitudinem divinæ potentiae, & ex parte DEI supponit perfectionem absq; imperfectione, quippe arguit perfectissimum dominium ; ex parte creaturæ autem, siue respicias causam secundam, siue actionem ejus, siue effectum, licet imperfectionem respectivè dicat, tamen illa est imbibita in ipso conceptu creaturæ &c. E. talis concursus DEO non denegandus ; *vid. Suarez. l. c. pag. 552. & Baronium, qui hunc secutus in Metaphys. p. 144. & Arriagam l. c. p. 271. n. 17. seqq.* ubi præ aliis hoc argumentum urget, & tamen *n. 20.* fatetur posse infringi, cum DEO immediatum dominium in creaturas competat, etiã si non concurrat immediatè, eò quod pendent in operationibus suis, ut à conditione immediatè requisita, à permissione divinâ, ratione cujus immediatè posset impedire vel efficere, ut existerent tales operationes, non attingendo causas ipsas in se. Et Ludovicus à Dola *pag. 442.* respondet, nos non debere esse NB. fatuos adulatores DEI, qui non indiget laudibus nostris falsis, juxta monita Sanctorum ; neque existimare, majorem aliquam perfectionem fore in DEO, si possit omne opus nostrum propriè ac per se operari, cum potius repugnet eum ita operari maximam partem operum nostrorum, scil. omnes actus pravos, quos tantùm permittat, ut perpetremus. Legatur & Dn. Joh. Faustius, qui *in cit. Diss. p. 20.* cum Slevogto urget, DEUM sic fore causam remotam actionum, & sic non propriè causam ; sic si quis calefit ab aqua calefacta ab igne, non propriè dicitur calefieri ab igne. Respondet Ludovicus *p. 421.* Si ignis immediatè conservaret in aqua calorem, qui me calefacit, ipse etiam satis propriè me calefacere diceretur ; id quod tamen fit in conservatione virium.

§. XIV. Sunt adhuc varia argumenta, quæ proponi solent. Nam aliqui argumentantur : Si actio causæ secundæ non immediatè dependet à DEO, non poterit DEUS actionem Entis creati impedire, nisi vel

im-

immittendo formam contrariam actioni, quod tamen de plerisque actionibus contrariò carentibus dici non potest; vel destruendo causam & principium operativum actionis, quod tamen non congruit dominio DEI; at verò si concursum immediatum admitteremus, nulla erit difficultas; DEUS enim concursum suum denegabit, uti in igne Babylonico factum. Ast Ludovicus *p. 443.* & hanc argumentationem rejicit (α) quia non absurdum, ut DEUS virtutem agendi destruat. (β) Si hoc non probabile, poterit impedire facultatem agendi, immittendo qualitatem incompossibile cum actione, & NB. stupefactivã virtutis agendi, qualia exempla & in physicis deprehendantur. Sic Remora piscis dicitur producere in navi, cui adhærescit, qualitatem incompatibilem cum motu locali, aut cum impressione impetus. Cur igitur DEUS non posset imprimere qualitates hebetantes? Et Arriaga aliàs concursum immediatum admittens hoc argumentum rejicit, dicitqve, Durandum facile posse respondere, DEUM impedire rem, si conditionem sine quã non, & permissionem suam deneget *l.c. p. 270.* Alii ita procedunt, & præprimis Bassolis *in 2. dist. 37.* & Scotus *ferè 16. tùm in Scriptò Oxoniensi, tùm Parisiensi*: Si DEUS non est causa immediata actus volendi; DEUS ab æterno nesciet certitudinaliter futura contingentia: Sed hoc est absurdum & impossibile. E. Respondet Ludovicus *p. 452.* nego consequentiam: DEUM enim hunc virtualem Syllogismum cognoscere: Iste homo omnibus ad operandum necessariis sufficienter instructus casu, quò invitabitur ad ambulandum, aut ad pœnitendum, consentiet. Ast invitabitur & ponetur in ea rerum peristasi. E. consentiet. Majorem hujus Syllogismi intueri DEUM ab æterno per conditionatam scientiam; Minorem verò videre in decretò, quò statuit efficere aut permittere, ut iste homo invitetur. Conclusionem autem esse evidentem; E. DEUM latere non posse. (2.) monstrat, quomodo Scotus in Reportatis suæ sententiæ non obsit: *p. 453.* Alii proferunt hoc argumentum pro concursu immediatò: Si in omni actione producitur aliquid ex nihilo, sequitur, quòd concursus immediatus requiratur. Atqui &c. E. Resp. ad prius Ludovicus *p. 442.* nego, quòd in omni operatione producat aliquid ex nihilo simpliciter. Hoc concedimus, quòd creatura sola non possit aliquid producere ex nihilo sui & subjecti simul de potentiã ordinariã DEO. non cooperante immediatè: potest tamen aliquid producere ex nihilo
sui

sui

sui absque concursu DEI identico & simultaneo, i. e. educere ex subje-
 cto aliquam formam, quæ antea erat in potentia, quamvis non in actu.
 Sunt & alia argumenta, quæ in scriptis diversis hinc inde invenimus: Si
 aliqua actio fiat à creatura non cooperante DEO immediatè, jam dabi-
 tur aliqua Entitas creata, quæ subtraheretur efficientiæ & providentiæ di-
 vine, quod tamen absurdum, quia sic errabimus errorem Manichæo-
 rum, qui plura prima principia admiserunt, & Nimrothismi accusa-
 bimur, quippe, *juxta Josephum*, Nimroth actus heroicos suæ fortitu-
 dini, & non DEO adjuvanti, tribuebat. Item, si causa à DEO, etiam effe-
 ctus. At causa eò instanti, quò agit, à DEO pendet. E. It. omnis realis
 Entitas ita à DEO in essendo pendet, ut nî DEUS Esse influeret, in nihi-
 lum evanesceret. At actio causæ secundæ &c. E. Sed exceptionibus,
 quantum ad hypothesein Durandi, non destituuntur. Saltim, quod pri-
 us concernit, audiamus quid Ludovicus dicat *P. I. Cap. II. p. 16. num. 11.*
Dico igitur quamlibet actionem Creaturae, bonam aut malam, liberam,
aut necessariam, esse à DEO simul coagente NB. aliquò tali modo, qui suf-
ficiat, ut ipse dicatur esse primum principium, causa prima, universalissi-
ma, atq; ut loquuntur Sancti, [& præprimis Seraphicus Doctor] primor-
dialissima omnium creaturarum, atque adeò cujuslibet etiam creationis:
neq; enim venit nobis unquam in mentem insitari, DEUM adjuvare nos,
conjungere se & concurrere nobiscum ad operationem &c. concursus enim
generalis est respectu omnium actuum &c. p. 407. conf. & pag. 26. it. 196. &
fol. 257. dum Ludovicus in eo est, ut D. Thomam pro Durando explicet,
inter alia dicit: Aristoteles unicum tantum primum agens, & primum
principium docuit, & nihilominus tamen nunquam asseruit DEUM imme-
diatè operari cum causis secundis; & p. 258. differit cum Cajetano & aliis:
Posito per impossibile, quòd Spiritus S. procederet à solò Filiò immediatè, &
non à Patre; quis tamen propterea diceret, Spiritum S. non esse quoque à
Patre, & personam à Patre realiter distinctam; licet enim non oppositio
originis immediata adesset, attamen mediata; conf. & Scotum in Scri-
ptò super sententia, quod communiter appellant Reportata in 2. dist. 37.
Theophylus quoque Raynaudus in Theol. Natur. dist. 5. quæst. 1. a. 4.
num. 30. seqq. fatetur ex subordinatione causæ secundæ ad primam non
esse firmam illationem ad necessitatem cooperationis immediatæ: &
p. 360. accuratè pro more Ludovicus à Dola respondet ad argumentum:
 Si

Si DEUS non concurrat, e. gr. ad actum [qui ens quoddam verum] odii, erit aliquod bonum creatum, quod tamen DEUS non potest efficere: & pag. 396. infert à pari: DEUS est causa finalis suprema omnium, & tamen e. gr. actiones malæ, quæ sunt potius aversiones à DEO, non immediatè in DEUM referuntur ut in finem: Ergò hoc etiam non erit necessarium de causâ primâ effectivâ; p. 421. illustrat rem simili: Quemadmodum si egenus ab homine divite, qui solus poterat ipsi subvenire, eleemosynam accipiat interventu ac ministeriò famuli; eleemosyna multò magis dependet ab hero largiente & jubente, quàm à famulo; nam à DEO est essentialius, licet ab homine immediatius; conf. etiam p. 449. ubi contra Patres discalceatos solidè de dependentiis creaturarum disserit; addatur & Arriaga in *Cursu Philosoph.* p. 271.

§. XV. Videt B. L. regectiones Ludovici ad argumenta ex ratione petita non esse contemnendas, quas hinc inde quidem sub incudem ulterioris disquisitionis revocare potuissemus; quia tamen cognovi non tantùm *Beatisimum Scherzerum Magnum* suo tempore & *Philosophum* & *Theologum* in *Disc. super Syst. MSto*, sed & *Excell. Dn. Faustium* diss. cit. p. 12. & 13. falsos esse se vix passuros, ut sententia Durandi, Taurelli, Ludovici & c. ipsis rationibus dissvadeatur, nisi vis dictorum *Scripturæ* obstaret, quum in communi sententiâ plurima de peccato & concursu DEI ad actus, qui pravi sunt, expeditu ferè impossibilia, & cum libertate *Creaturæ* & sanctitate DEI ferè inconciliabilia; modò ne istâ sententiâ Pelagianus abuteretur, cum de supernaturalibus agitur & conversione hominis; & modò non sequeretur hoc quoque, DEUM in conversione per prædicationem verbi concedere vires, non verò & illas vires in actum deducere. Conferre etiam hic posterior jubet *Hülsem. Brev. extens.* p. 41. Igitur transeant hæ rationes philosophicæ, & in probatione concursus immediati potius ad *Scripturæ* dicta nos convertemus, si modò illud prius monuerimus, & subtilem Arriagam tandè nescire, quò se vertat: sic enim loquitur n. 21. *Etiamsi quælibet ex adductis rationibus non sit efficax, omnes tamen simul sumptæ satis probabiliter ostendunt immediatum concursum; præsertim cum objectiones Durandi nullæ, & Scripturæ illum videatur significare.* Igitur bono cum DEO dicta *Scripturæ* aggrediemur, ita tamen, ut nullum ordinem antiqui & novi fœderis observemus, neque etiam singula recenseamus.

§. XVI. Pater & Filius ἕως ἀρῆς ἐγγύζονται: Ergò concursus præ-
 primis Patris eò tempore, quò Christus hæc verba proferebat, erat im-
 mediatus & identificus &c. Ad elucidationem dicti notentur sequentia.
 Quæstio erat: An ægrotum die Sabbathi rectè sanâset Christus? Judæi
 negabant, ille verò affirmabat: Si Pater meus ἕως ἀρῆς usq; in hunc diem
 Sabbathi operatur, & ita hæctenus per omnia Sabbata elapsa operatus
 est, sequitur, quòd ego hoc opus misericordiæ perpetrans non peccârim.
 Atqvi &c. E. Consequentia est certa: aliàs Pater etiam peccaret. Ad
 exceptiones respondebimus. *Conf. omninò eruditum & multâ scientiâ re-
 fertum Commentarium Excellentissimi Dn. Christiani Nifanii, SS. Theol.
 Lic. Senatûs Ecclesiast. Ravensbergensis Consilarii & Superintendentis, Ec-
 clesie Bilefeldensis Pastoris Primarii, nec non Capituli Senioris, nobis ab Eò-
 dem, quod publicè hic deprædicamus, donatum, quem Auctorem ut Patro-
 num juvenili æstu laesum, quod dolemus, aſt tamen iterum, quod speramus,
 reconciliatum, & in posterum venerabimur.* Jam quæritur, quid intelli-
 gatur per Opera Patris, & quid per Opera Filii? Pater enim non ita o-
 peratur, ut post creationis opus absolutum novas species producat; ;
 nam sic quiescit ab Operibus *Genes. II. v. 2.* sed res creatas gubernando.
 Neque est quod objiciatur: Qvalia opera Filii, talia opera Patris: nam
 juxta communem interpretum opinionem est comparativa propositio,
 & particulæ comparationem aliàs constituentes sunt omissæ. Atqvi o-
 pera Filii erant miracula, & in specie præsens perpetratum in persona
 ægroti, per triginta & octo annos laborantis. E. Resp. (1.) Atqvi Pa-
 ter non ita miracula perpetrabat ut Christus; nam ubi ille in visibili spe-
 cie apparuit tunc temporis, & supra naturæ media lecto affixos curavit?
 Admiraberis forsan responsionem ad conclusionem, & dices, quòd illa
 limites excedat, & dilabatur ad modum, cùm manere debeat in re ipsâ.
 Resp. (2.) subsumendo: Atqvi opera Filii etiam erant variæ mundi gu-
 bernationes: E. Probo: *Patris providentia cuncta gubernat.* Admittet
 Durandista probationem ex *Apocrypho Sap. XIV. v. 3.* Atqvi *quæ fa-
 cit Pater, facit & Filius, conf. v. 19. Cap. V. Job.* (3.) condescendam:
 Pater operatur ut Filius miracula perpetrando, licet modus dictus va-
 riet: & operatus est omninò per Prophetas quotidiè. Atqvi immediatè,
 atqvi identificè, atqvi proximè. Et hoc est quod volumus. Deinde
 nulla necessitas nos cogit ab illâ sententiâ recedere, quod versiculus hic
 agat

agat

agat de gubernatione. Nam elumbis consequentia: Principalis quæstio inter Christum & Judæos erat de opere sanationis alicujus ægroti; E. & Christus in defendendo illo opere v. 17. loquitur de eodem. Cur enim in v. 21. extra controversiam loquitur de alio opere; & perinde sanè erit ac si inferrem: Quæstio est, An ad porrectionem eleemosynæ DEUS identificè concurrerit: & in posterioribus dicitur, Pater meus concurrat, & ego concurre. E. in specie jam sermo est in hâc probatione de concursu identifico ad eleemosynas. Sed quò tandem prolabor cum ipso meo fastidio? Videamus quid Ludovicus respondeat aliàs subtilissimus. Profectò levitas replicæ admiratione digna. Sic enim pag. 403. hoc dictum Augustinus contra veteres hæreticos citavit, qui asserere, DEUM cessare omninò ab omni prorsus actione, & nihil amplius operari, quæ sanè nullatenus ratio Durandi. conf. & pag. 230. Resp. (a) Hoc dictum Lucas Osiander, Melchior Nicolai, & Theodorus Thummius, Theol. Tubing. contra Giessenses citârunt, quòd status exinanitionis consistat in $\kappa\rho\upsilon\psi\delta$: Ergonè verè? Sit ita Augustinum sine dictò hunc locum citâsse: Ergonè nullus alius respectus supererit? Urgemus verba: Pater meus ἐργάζεσθαι; probetur quòd ἐργάζεσθαι significet vires concessas conservare; aliàs similem in modum inferam: Ludovicus à Dola informat Monachos fratres rastos; E. tantùm per discipulum, quem antea informârat & eruditionem ipsi instillârat. Plausibilior certè est exceptio Durandi in l. 1. Dist. 37. Qu. 1. p. 227. Quamvis DEUS non sit immediata causa omnium, quantum ad productionem, est tamen immediata causa omnium quoad conservationem. Et de hac operatione loqui hoc dictum. Jam urgeo contextum, positò quòd opera JESU denotent opera Messiae & miraculosa: Quemadmodum Christus jam operatus erat miraculum, ita & Pater. Atqui Christus reverà efficiendò immediatè &c. Ergò & Pater. E. Syncretisticè Arriaga in Cursu Philosoph. disp. 10. Phys. Subsect. 2. p. 270. n. 10. agere videtur, dum dicit: quâ consequentiâ Durandus ex hoc loco possit refutari, videant ipsimet. De B. Slevogto verò, qui itidem noster adversarius, p. 363. sqq. mitiùs sentimus, ac quòd ipsum & hîc sequi non potuerimus, nos malè habet: putat enim adhuc DEUM posse dici operari, si vires primò concessas conservet: Ast cur non pag. 366. vult concedere, posse dici, DEUM movere, si vires ad motionem datas conservet. Eadem sanè est difficultas. Ex Deuteron. VIII. 17. itidem in-

tentum nostrum stabilimus: de concessione virium Judæi non dubita-
 bant & earum conservacione. Moses verò ulterius progreditur: ne di-
 cas quòd per vires non tantùm creatas, sed & conservatas tu solus ope-
 reris: DEUS profectò est, qui tibi dat virtutem exerendi robur. Dat:
 Ergò non conservat. Instas, נתן idem est ac dedit, sc. in primâ crea-
 tione vel in nativitate. Resp. Ergò nec concursus mediatuſ confi-
 stens in conservacione virium ex h. l. probabitur; nam nulla conse-
 quentia: DEUS dedit vires: E. conservat. (2.) cur non cumulativè
 posset exponi: & dedit vobis vires in generatione vestra & in transitu
 vestro per desertum & pugnâ contra hostes: Jam si in generatione dedit
 concessivè & originaliter vires, & in ipso actionis progressu dat vires,
 posterior datio nihil aliud erit, quàm applicatio determinatæ potentia
 & concursus ad ipsam actionem. Planè igitur non moramur exceptio-
 nem Ludovici, qui putat *p. 406. potius contrarium ex hoc loco posse pro-*
bari, quia dicatur: DEUS præbuit tibi vires. Nam Elisæo præbuit DEUS
 vires, ut mortuum excitaret: Ergonè hæc exhibitio virium non est con-
 cursus immediatus? Ex *Job. XV. 5. sqq.* ita inferimus: Qualis est actio vi-
 tis in palmitem, sine qua non potest fructificare; talis actio etiam est DEI
 in homines, sine qua nihil possunt facere. Atqui actio vitis in palmitem
 est proxima, immediata &c. E. Hòc argumentò oclufimus Ludovico
 exceptionem: *Verum est, sine DEO, nisi mediatè concurreret, non posse-*
rous operari. Excipit tamen aliter: *Sermo est de operibus vitam æternam*
promerentibus. Non verò sequitur: ad hæc concursus immediatus neces-
sarius: E. ad reliqua singula opera. Resp. (1.) de Operibus vitam æter-
 nam promerentibus nos nil scimus. Nam quando omnia fecerimus, di-
 camus, nos servos esse inutiles, uti etiam reverà sumus. Non verò mira-
 mur, quòd vos contrarium statuatis. Angelus de Clavasio n. 6. scribere
 non est veritus, *quòd error in subtilitatibus fidei possit esse meritorius, si*
ex simplicitate heretico prædicanti quis credat, & tamen paratus sit corri-
gi: Imò idem ille asseruit: *si vetula crederet Trinitatem esse unam femi-*
nam, quia putaret Ecclesiam sic credere, committeret errorem cum peccato
ex se veniali tantùm conjunctum. (2.) dicitur in genere: Nihil potestis
 sine me facere. Si excipis: contextus loquitur de spiritualibus. Resp.
 quicquid sit de hoc; perinde est ac si dicerem: Qui concionari vult, de-
 bet linguam movere & os aperire &c. quia sine ore nemo loqui potest:
 E. os

E. os etiam in hac phrasi non habet respectum ad locutiones scurriles & venereas. (3.) Vincentius vester Contenson *in Theol. M. & C. T. I. p. 271.* cum Augustinô probat ex h. l. etiam ad omne opus moraliter bonum necessarium esse specialem DEI concursum. (4.) miror, quòd tanquam Pontificius Semipelagianorum more cum Synergistâ Victorino Strigelio *disp. Vinar. sect. 2. p. 36.* locum hunc non eò sensu in spiritualibus citet: *Licet vires naturales nihil absq; Christo: aliquid tamen cum Christo ejusq; auxilio valent: ut ita tritum illud obtineant: Labori humano NB. subjungitur gratia: & Conatus nostri irriti, nisi gratia promoveantur:* Sed forsan reservat hæc ad commodiorem locum. Manus DEI plasmârunt quasi cum molestiâ & sudore, (עֲצָרָה) [quam emphasin Excellentissimus Dn. D. Bayerus, singulare ornamentum Academia Jenensis, in instructissimô suô Compendiô Theologiæ p. 298. etiam observavit, à quo plura orbis eruditorum expectat] & fecerunt Jobum; sicut lac effudit eum, & sicut caseum coagulavit eum, *Job. X. v. 8. 10.* Reines formatos Davidis non tantùm conservat, sed & possidet, uti possessor domô pro libertate utitur, & quidem ita, ut totum Davidem ad extrema maris fugientem manu suâ ducat & detineat apprehendendô, *Pf. CXXXIX. v. 13. 10. & Pf. LXXI. v. 6.* idem DEUS est יְהוָה Davidis, h. e. avulsor; & Prophetam Jeremiam in utero formavit *Cap. I. v. 4.* ut cætera innumera fermè loca de hac materia taceam. Ergò ad generationem & formationem hominum, adq; eorum actiones immediatè &c. concurrat. Negat Ludovicus consequentiam p. 409. & dicit, priora verba esse impropria & metaphorica, & proinde nihilo plus præsidii inde peti posse pro sententia affirmante concursum DEI immediatum, quàm si diceretur, solô imperiô voluntatis suæ omnia produxisse, aut mediante potentiâ executivâ, quæ per manus significatur. Resp. (α) quasi ex Metaphoricis sensus debitus literalis non posset elici? Ludovicus rorem eruditionis & subtilitatis Scholasticæ instillavit & adpersit plantis tenerissimis sibi concreditis: & hæc verba sunt Metaphorica, & tamen possunt significare, in propria persona Ludovicum Fratres Ordinis alicujus informasse. (β) concedimus vocab. יְהוָה de DEO usurpatum in Scripturis varias agnoscere significationes; *evolvantur Lexica & Commentatores;* communissimè tamen accipitur pro virtute & potentia DEI, quæ respectu objectorum ut distincta concipitur: cur igitur h. l. non

deberet intelligi *potentia formatrix*; E. hæc vis divina & potentia Hiobum formavit; quæritur an mediatè an immediatè; concedo, vis generativa ex lege primæ institutionis & parentibus Hiobi concessa potest rectè dici virtus DEI; ast phrasis est maximè emphatica & plus importat. (γ) Refutas ex tuo iudicio aliàs Doctissimum Patrem Valentiam pag. 417. quòd dixerit, Durandum graviter errâsse; quum omninò res immediatè sint à DEO, sed ita, quia intelligat & velit illas DEUS; & regeris *ibidem: quasi immediatio esset ab intellectu & voluntate?* hæc sanè sententia supponit falsum, scilicet *DEUM carere potentiâ exequentem ab intellectu & voluntate per rationem distincta.* Cur igitur tu hoc loco per manum DEI h. e. potentiam exequentem *imperium voluntatis* vis intellectum? Forsan provocabis ad *Es. LXV. vers. 2.* Extendi manus meas totâ & omni die &c. ad quæ verba Abarben. *הנבואה* prophetia verò erat imperium voluntatis divinæ. Cur non etiam ex *1. Epist. Joh. Cap. I. v. 1.* *αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν* &c. inferes: E. fuit contrectatio mediata. & *Act. VII. v. 49, & 50.* dicitur: Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, *ἐχὶ ἡ χεὶρ μου ἐποίησε ταῦτα πάντα*; juxta tuam sententiam hic sensus emerget: *imperium voluntatis mea fecit hæc omnia, non verò potentia operatrix in rudem & indigestam molem operans immediatè &c.* (d) cur non ita deberemus inferre: Quemadmodum manus plasmantis causæ secundæ in artificialibus immediatè rem & proximè attingit; ita & virtus DEI i. e. ipse DEUS? (e) manet igitur omninò detorta expositio: Manus DEI organizârunt corpus meum, sicut lac me mulserunt, i. e. DEUS dedit virtutem parentibus, quâ mediante in uterò matris ego formatus. Cur non ita: Manus DEI i. e. DEUS ipse omnia membra mea formavit; & si hoc obtineo, urgeo iterum sensum communissimum, ubi, *si actio dicitur de personâ, dicitur illa quoq; rem proximè attigisse*; quamvis illud non diffitear Ludovicum XIV. dici expugnâsse multas urbes & oppida, quæ tamen non vidit: sed est dissimillima ratio. Et profectò Ludovicus nihil solidi potuit respondere; unde iterum pro more: *Scripturæ S. magis congruum, DEUM non propriè ac per se operari peccata nostra.* Nam de his jam non est sermo, nî velis dicere, ipsum formale formationis esse peccaminosum; at figulus absque culpa ex massa deperditâ, si nulla purior acquirenda, & tamen vas requiritur, ollam conficiet. Et
quan-

quando paulo post addit: *Existimarem ego sufficere ad veritatem verborum attributionem virtutis parentibus à DEO factam*: Quid erit si hoc non est principium petere? (f.) Ducere non est nudè conservare DEUS duxit populum *Exod. XIII. v. 17. 18. & Cap. XV. v. 13.* E. nudè & generaliter conservavit: ut taceam verbum *יחזק* potius favere Determinantibus, quàm ut nobis obesse possit. *גזזים* sunt tonsores actuales proximè in lanam ovium agentes *Genes. XXXVIII. v. 12.* cur igitur DEUS non immediatè & proximè embryonem ex uterò abscindet & solvet? Ad locum Jeremiæ Augustinus *Epist. 146.* ita commentatus: *Si DEUS non format ista; quomodo loquitur: priusquam te formarem in uterò, novi te? Quomodo etiam accipi potest quod fœnum agri, quod hodiè est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic vestiatur? nisi fortè credendum est à DEO corpora non formari, & fœnum à DEO non vestiri: cum enim dicit: Format, vestit, non NB. de præsentia ordinatione, sed de præsentè operatione se loqui satis indicat: vid. plura ib. legatur & Contenson l.c. P. I. Libr. 4. Diff. I. Cap. I. Speculat. I. p. 230.* Abarbenel in suo Commentariò est pro nobis, qui ita: *הרעת האמת ביוצר הולד שהוא כח הנברל כי הוא המצייר את העובר בבטן לא הכח הנשוא בזרע ולא החוס השממי כמו שחשבו מהפלוטופים כי הוא יתברך היוצר והמצייר את העובר במעי אמו:* Fabulam vero tandem subjungit, quod corpus embryonis in uterò matris tantum formetur, anima vero in sextiduo creationis longè ante producta illi corpori consummato intrudatur. Quæso, unde sic peccatum animæ? Aut igitur impura à DEO erit creata, aut corpore peccaminoso inficietur; utrumque impiè & absurdè asseritur. Tu non eris sufficiens ad summam hanc difficultatem superandam; cum Magnus Augustinus in Epistolâ ad Optatum ingenuè confessus, *se neq; legendò neq; orandò neq; ratiocinandò invenire potuisse, quomodo cum animarum creatione peccatum Originis defendatur.* Ex Actor. XVII. v. 28. aliàs communissimè quoque concursus immediatus probatur: Vid. *peculiarem super hoc dictum disputat. Excellentissimi Domini D. Joban. Faustii Professor. Argentoratensis celebris præprimis p. 17. seqq. Breviar. Hülsemann. Enucleatum à Beatissimò Scherzerò p. 236. 237. B. Dannb. in Hodosophiâ p. 309. & Dn. D. Jobann. Adamum Osiandrum in Syst. Majori P. III. p. 34. B. Quensted. in Syst. nuper edito Artic. de Provid. DEI &c. & quem non?* Primò enim præsupponunt

nunt

nunt τὸ Ἐν significare idem ac *Cum vel Per*; uti *Ephes. VI. v. 2.* ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ (*cum promissione*) Νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακὸν *Rom. XIII. v. 21.* (*Per bonum*) & postmodum verba ita exponunt: *Per DEUM* movemur; idem est ac: *DEUS* nos movet: æquè ac si diceretur: *Per* *Confœderatos Galli* ex *Moguntiâ* fugati: idem esset ac si diceretur: *Confœderati Gallos* ex *Moguntiâ* fugârunt. Jam movere non esse movendi vim dare (*adderem ego: vim movendi datam conservare.*) Et præprimis *Slevogt l.c.p. 643.* infallibiliter ex hęc locò vult deducere concursum *Immediatum*, quia aliàs periret vis probativa. Quæ enim consequentia? *DEUS* nobis mediatè dat agere per *mediatum* concursum; *E.* non abest ab unoquoque nostrum. Etiam *Solem* remotissimum parare in visceribus terræ per causas proximas metalla, & tamen neminem dicere *solem* non esse longe distitum. Et *p. 367. seqq.* ex professò pugnat contra *Arriagæ* sententiam, qui asseruit *Disp. 10. Phys. Sect. I. Subsect. 2. num. 9. p. 270.* hunc locum posse utcunqve explicari sine *immediatò* influxu, vel quia *DEUS* conservat & disponit causas omnes *immediatas*; vel quia *permissio* ipsius est necessaria conditio ut causæ *immediatæ* operentur. Nam scopum *Apostoli* primarium esse demonstrare velle, *DEUM* nobis esse facilem cognitu: rationem verò *Apostoli* fuisse, quod non longè absit ab unoquoque hominum; quam rationem de novò probaverit ab effectu & operatione, quod nobis det esse vitam & operari; jam verò nisi hoc assumatur de causâ proximâ & *immediatâ*, rationem fore infirmam. Dat exemplum: Sit aqua calida quæ calefaciat cibum, & cibus calidus, qui calefaciat ventriculum; quis ex calore ventriculi cognoscet illum calorem in ventriculò productum, esse in rigore effectum aquæ, cum primis, si interea temporis aqua refrixerit: & *Excellentissimus Dominus Faustius* in genere respondet, & quidem optimè, *Arriagæ*: non dicendum esse quomodo *utcunqve* possit hic locus explicari; sed quomodo explicari debeat. Pace tamen horum summorum Virorum, quorum calceamenta ut solvamus, nos indignos esse scimus, diceremus, (*DEUM* testamur, non studiò contradicendi, sed desiderio maximò veritatem inqvirendi) rem contrà *Ludovicum* & *Arriagam*, imò contra *Durandum* ipsum, sic nondum videri confectam. Verum est; stabilire principaliter volebat *Apostolus*, *DEUM* facili negotiò à gentilibus potuisse cognosci; & post-
cà

eà incidenter illud quoque probandum erat : illum ipsum DEUM non
 procul abesse ab ullò hominum. Ast & juxta Ludovici & Arriagæ (ad-
 derem & Durandi) opinionem utrumque poterit demonstrari ; Quod
 ut eò melius pateat, not: præprimis Ludovicum à Dola, quantum qui-
 dem nos ex ipsò cognovimus, & Arriagam nunquam negasse omnipræ-
 sentiam DEI respectu essentiæ ; unde prior in Disp. Quadrip. P. IV.
 Cap. XVI. expressissimè posuit : *Apostolus hoc dictò nil aliud docere vo-
 luit, quam NB. immensitatem atq; omnipræsentiam DEI, quod colligitur
 ex verbis præcedentibus, quibus deducit, DEUM non esse ita quærendum ut
 existimetur habitare duntaxat in templis manufactis, cum sit potius NB.
 ubiq; præsens; in ipso enim nos Esse & c. h. e. intra ipsam DEI substantiam
 ubiq; præsentem & immensam sumus, vivimus & movemur, quemadmo-
 dum pisces in aquâ nascuntur vivunt & moventur.* E. DEUM esse ubi-
 que non tantum secundum effectus sed etiam secundum se, concedunt.
 Jam argumentum ex ipsorum opinione: DEUS quidem mediatè ad i-
 psam actionem concurrat, ast tamen immediatè vires agendi concessas
 conservat in omnibus agentibus unò eòdemque tempore in diversissi-
 mis locis, cum aliàs homines vel ut trunci relinqvendi, vel planè annihili-
 landi. E. DEUS non est procul ab unoquoque nostrum. Regerent
 statim, instantiam Slevogti esse incongruam : de Sole esse certum, quod
 secundum substantiam nobis non prope sit ; sed tantum secundum effe-
 ctus : ast se concedere DEO immensitatem ; & illationem debere omni-
 nò admitti : DEUS immensus & omnipræsens respectu sui, mediatè mo-
 vet : E. non longè abest ab unoquoque nostrum. Si urgentur, uti omni-
 nò urgeri possunt, standum esse communissimâ & propriissimâ signifi-
 catione motionis, quæ non est conservare vires movendi, sed actu reve-
 rà & proximè movere ; possunt dimittere datam responsionem & non
 urgere, quod animæ, quæ cum Jacobò in Ægyptum descenderunt, ex fe-
 more ejus dicantur egressæ ; sanè non immediatè, sed mediatè ; (*quâ in-
 stantiâ Slevogt pressit usurpantes dictum Job. X. v. 8. pro immediatione
 concursus pag. 364.*) & dicere: Benè, sit ità, accipiantur igitur singula vo-
 cabula in suò significato famosò : E. èv significabit in (*hac enim est poti-
 or acceptio*) & si vos hanc propositionem : èv Θεῷ κινῆμεθα, æquipol-
 lentem dixistis illi : DEUS nos movet : quid prohibebit ne nos quoque
 asseramus, hanc phrasin passivè conceptam denotare, nos in DEO nos-

metipfos, præsuppositâ tamen concessione & conservatione virium, movere; uti homines se movent in mediô aëre hypocaufti & pisces in mediô aquæ fluviatilis: & sic quoque optimam fieri illationem: Homo se in aëre movet: E. aër non est procul ab unoquoque inhabitantis hypocauftum &c. Et quod alteram regectionem contra Arriagam concernit, omninò etiam ex Arriagæ expositione sequitur, quod DEUS facilis sit cognitu, nam si DEUS est omnipræsens, & non longè ab unoquoque nostrum: E. est facilis cognitu. Dices, probetur prius; juxta sententiam Arriagæ probabitur: quia vires ad agendum concessas immediatè essentiali suâ præsentia disponit & ordinat. Exempli propositi pars: aqua calida calefacit cibum; confertur cum hâc propositione: Creator DEUS, perpetuum mobile, concessit homini vires se movendi; illa verò pars: cibus calidus calefacit ventriculum, referetur proculdubio ad illud, ubi vires agendi possunt in ipsam actionem prorumpere & hominem ad agendum reddere aptum; pergit in simili illudque tandem concludit: quis ex calore ventriculi &c. & apodosis erit: quis ex actione emanante concludet, illam esse principaliter primariò & originaliter à DEO. Resp. (α) deberet homo inquirere, unde calefactio cibi, & si certior redditus, sciret ex aqua esse. (β) etiam si immediatè aqua calida ventriculum calefecisset; ex malitiâ tamen & summâ ignorantia posset hominem latere, hunc effectum aquæ calidæ adscribendum. (γ) DEUS soli & lunæ vires illuminandi, fruges maturandi &c. concessit, quas vires & exerunt in sublunaria; & tamen DEUM potentem exinde multi gentilium cognovere. (δ) est dissimilitudo; aqua refrigerare potest; DEUS verò perpetuum mobile manet; aqua non conservat calorem in ventriculò; DEUS conservat vires, ut cœtera taceam. Ad reliquas exceptiones facilis etiam esset responsio ex Arriagæ & Ludovici hypothesi, quas tamen lubentes omittimus, quia suprâ in rationibus philosophicis argumentum illud discussum; an etiam DEUS, si non immediatè ad actiones concurreret, dici posset causa ipsarum? De cœterò fateor, aliquantisper Durandum posse urgeri, qui in *libr. 1. diff. 37. quest. 2. p. 229. col. 1. n. 6.* affirmat, *DEO convenire Esse in locò repletivè non secundum se, sed secundum suos effectus;* quum manere videatur consequentia: DEUS effectibus & virtute suâ nobis est præsens: E. facilis est cognitu; quamvis omninò & adhuc disquiri posset, annon, & hæc illatio optimè procedat.

Illud

Illud verò argumentum: Quicumque statuit DEUM non immediatè ad omnes actiones concurrere, ille negat omnipræsentiam DEI; mihi non videtur firmum. Neque est quod objiciatur: stylò Scripturæ omnipræsentia DEI importat operationem; nam concedo totum; sed absone exinde struitur consequentia: DEUS præsens non est otiosus: E. statim immediatè concurrat; qui enim conservat rem illique prospicit, etiam non est otiosus. Breviter: Si adversarii admittunt expositionem verborum: ἐν θεῷ κινῆμεθα: DEUS nos movet; justissimè à proprietate verborum non recedimus usque dum cogens demonstratur necessitas: & rectissimè Excellentissimus Faustius: *non dicendum est, quomodo hic locus utcumq; possit explicari, sed quomodo explicari debeat.* Reliqua dicta Scripturæ quæ magnò numero pro institutò nostrò adhuc possent citari, jam non adjungimus, ex quibus si unicum citarem ex Proverb. XXI. v. 1. tantum abest ut concursus mediatu adstruatur, ut potius Prædeterminantibus favere videatur. Explicationem Cornelii à Lapide lege apud Dannhauerum *in Hodomor. Calvin. p. 856.* Ut adeò satis mirari non possimus inconstantem & fluctuantem Arriagæ animum dum *num. 25. l. c.* desperabunda profert verba: *Quam E. rationem pro immediatò concursu reddemus?* & respondet: *dico illum de factò concurrere immediatè, quia supposita non repugnantia in tali concursu, quam statim monstrabo, & cum Scriptura illum NB. videatur significare, consentiantque Patres Ecclesiæ, & tandem ferè omnes Scholastici Doctores, videtur hac efficacissima probatio pro quæstionibus de factò.* Deīnam si illud addiderim, Ludovicum emphaticis Scripturæ phrasibus constrictum, ultimum refugium semper quærere solitum fuisse *in actibus pravis.* E. ad minimum tacitè immediatum concursum in actibus bonis & licitis concessit *pag. 409.* Si verò pro lubitu detorquere dicta in alium sensum sufficit ad suam opinionem demonstrandam, vicerunt contra orthodoxos Sociniani, vicerunt alii: imò ad hominem eum Ludovicò ipsò agam. Citavit pro concursu mediatò *Deut. VIII. v. 18.* invertimus de facili argumentum: Quæ enim consequentia? DEUS dat vires Israelitis ad occupationem terræ sanctæ: E. concurrat mediatè; cur non immediatè? & dictum Pauli: *Omnia sufficientia nostra ex DEO est:* pro se adducit: *En insignem consequentiam!*

§. XVII. Quod divisionem concursus divini attinet, notum erit, quod (α) alius sit in sphaera naturæ, alius in sphaera gratiæ. Ille [imò certò respectu uterque] subdistinguitur (β) in generalem & specialem. Utriusque definitio mihi non adeò facilis & perspicua; Alii ita: Concurfus universalis vel generalis [habentur enim pro Synonymis] est, ubi DEUS per modum causæ universalis; specialis verò vel particularis, ubi DEUS per modum causæ particularis operatur; alii ita: Concurfus generalis est, quando operatio fit virtute generaliori; specialis, quando specialiori; alii ita, ut Rhetorfortis in Disp. Scholasticâ de divinâ providentiâ: Concurfus generalis concernit agentia in sphaera naturæ; concurfus specialis concernit agentia in sphaera gratiæ, utrumque tamen facit determinantem p. 383. Vel concurfum generalem ita delineat nobis idem ille, qui determinetur à causa secunda in genere causæ materialis, dum concurfus modificatur, quatenus recipitur à causa secunda juxta naturam, modum, & exigentiam naturæ recipientis; & hòc sensu Thomam contra gentes l. 3. cap. 6. & Scotum Comm. in Phys. Aristot. l. 2. cap. 4. asseruisse: *Causas secundas esse quasi particularizantes actionem causæ primæ* [licet Jesuitæ mentem eorum depravent in alium sensum.] alii ita: Concurfus generalis est respectu omnium actuum, Ludovic. à Dola p. 407. Nos secundam definitionem pro nunc assumimus. Hinc quæstiones notissimæ inter Scholasticos: An concurfus specialis requiratur ad veritates naturales dignoscendas, quod cum Thoma affirmat. Contenson in Theol. M. & C. p. 720. col. 1. an idem concurfus requiratur ad actus morales: ibidem disserit Contenson p. 721. dicendo, quosdam peccare in excessu, quando e. gr. Michaël Bajus ad opus honestatis influxum gratiæ habitualis & imperium charitatis requisiverit, & Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis influxum fidei christianæ dixerit necessarium; quosdam verò in defectu; quando e. gr. Svarez & discipuli Molinæ, quos etiam secutus Baptista Gonet *disp. 7. art. 3. §. 5.* ad opera moralia bona concurfum tantùm generalem exegerint. Hos enim statuere substantiam actionis, v. gr. dilectionis DEI super omnia, posse à viribus voluntatis oriri; modum verò supernaturalitatis, quò vitam æternâ homines promerètur, à gratia sanctificante & charitate, vel auxilio actuali supernaturali in principio justificationis effluere. Quod ad quâlibet actionem virtuosam moraliter requiratur concurfus specialis, palmaria

maria

maria ratio datur : quòd DEUS à sanioribus gentilibus ad auxilium in Operibus bonis vocatus. Respondeo : & pluviam aliàq; naturalia expetivere, ane propterea semper requisitus concursus specialis? Excipitur quidem à Contensoniò p. 722. col. 2. Ecclesia quidem aliquando pro pluviam, sanitate, aliisq; bonis naturalibus orat, sed ob aëris inclementiam vel corporum infirmitatem compulsa. Resp. quicquid sit de hoc : quæritur, an requiratur ad concessionem pluviae & sanitatis concursus specialis? Cur non ita potius regesit : Causæ naturales ita aliquando sunt dispositæ, ut sine concursu speciali pluvia & sanitas non possint obtineri : Ergò quando Ecclesia pro pluvia orat, omninò requirit concursum DEI specialem &c. Sed nos etiam aliquando pluviam expetimus & sanitatem, ubi DEUS nihil singulare efficit, & causas naturales immutat. Illa ratio videtur firmior : in statu naturæ lapsæ voluntas suapte propensione magis fertur in utilia, delectabilia, & in bonum proprium, quàm honestum & divinum, semper etiam in exercitiò opera ex officio bona in se reflectet, & reflectendo inficiet & sordidabit; videantur apud Contenson. ib. versus S. Prosperi gallicè appositi p. 723. 724. prava enim concupiscentia, etiam Φιλανθίας, est juxta Franciscum Salesium primum vivens & ultimum moriens. E. ad DEUM illa non referet, nî à DEO reformetur. Ergò requiritur concursus specialis. Accusat propterea Heerboord Jesuitas, Pererium, Conimbricenses & inconstantem Bellarminum, plurimosq; Reformatorem, quòd concursum generalem in actionibus hisce tantùm admittant p. 69. Sed sit ita, admittamus concursum specialem, quid tum? Ergonè propterea statim determinans, quod tu tamen unicè intendis. (γ) Quilibet ex dictis facilè intelligit, quòd nos non tam loquamur de concursu morali, qui fit svadendò, dissuadendò, objecta & occasiones proponendò &c. quàm potius physicò, ubi quis verè & realiter in effectum positivò influxu influit. (δ) Distribuant quidam concursum in *mediatum* & *immediatum*, mediatum, qui fieri debet per conservationem virium ad agendum concessarum, exesse jubemus; immediatum verò non tantùm ratione virtutis sed & suppositi defendimus. Termini sunt noti ex Metaphysicis, vid. integram Disputat. Heerboordi, & est septima in ordine, p. 64. seqq. (ε) Distribuitur etiam, quòd sit vel *prævius* seu *prædeterminans*, vel *simultaneus* seu *concomitans*. Simultaneum & concomitantem omnes, exceptis paucissimis,

nis, inter quos Durandus de S. Porciano famosissimus, concedunt, & nihil aliud est juxta descriptionem Heerboordi, imò & nostratum, quàm actio ipsa causæ secundæ, ut à DEO procedit. Quando enim DEUS vires specialiter ad agendum concessas in primâ creatione & per generationem propagatas determinari ab ipsâ creaturâ ad hanc specie actionem videt, concurrat. At de prævio & de prædeterminante [quavis non tam accuratè dicatur concursus, præprimis in sphaera gratiæ [præoccupabimus hîc pauca de gratiâ, quibus sic infra poterimus supersedere] sed potius nominetur gratia præveniens & excitans, in qua homo se merè passivè habet; nam concursus dicitur auxilium, si verò in spiritualibus gratia præveniens dicitur auxilium, labemur in casses Semipelagianorum. *vid. B. Hülsemann. de A. G. p. 17.*] lis maxima orta est inter Dominicanos & Jesuitas, primò quidem in Hispania, mox Romæ & in Italia & Belgio, adeò ut ipse Pontifex Romanus silentium imponere coactus utriusque parti. Legatur Bulla Innocentiana edita annò 1653. ubi in §. 5. sequentia reperientur: Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs, [*ecce timet Pontifex, ne moniales quoque hæresin excitent*] ne de prædictis propositionibus [*erant autem quinque*] sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsentî nostrâ declaratione & definitione continetur. Astutè infert Contenson *T. I. l. 8. Diss. 5. Cap. I. p. 813. col. 2. Ergò è contra licitum erit de prædictis propositionibus sentire, docere, prædicare, secundùm quod in illâ declaratione & definitione continetur*: Ergò prohibitio non in totum accipienda, sed in tantum: *conf. etiam Præfat. Conciliat. Prædeterm. Phys. Augustini Erath, qui non malè observavit ib. Pontificiis non licitum esse disputare de Auxiliis efficacibus, & tamen quotidie ipsos disputare & scribere de efficaciâ decretorum DEI, cum eadem difficultas utrobique emergat: legatur & Ludovic. à Dolâ l. c. p. 100. & p. 221.* Unde & meticulosè in Theologiâ Dominicani, si quâ fortè in materiam de Auxiliis gratiæ incidunt, de illa loquuntur. Contenson *l. c. l. 8. dist. 1. cap. 2. Speculat. 1.* statim ab initiò; addatur & B. Hülsemannus de Auxiliis Gratia p. 29. Disceptionis originem & progressum legere jubet Heerboordus *Disp. 9. Select. th. 1. p. 71.* apud Gvilielmum Camerarium, Scotum & Scotistam *P. 2. Disp. Philosoph. quæst. 9.* Nos concursum prævium NB. qui prædeterminans [nam quòd DEUS etiam possit simul concurrere per modum prin-

prin-

principii & actionis, nobis non absurdum videtur *contra Suarez. Opusc. Theol. p. 12. seqq. Burgersd. in Metaphys. p. 307.* & alios, si modò principium non inferat novam virtutem in naturalibus agendi, *vid. Heerboord p. 72. col. 2.* unde & præmotionem Thomæ Ludovicus à Dola ita explicat *p. 241.* quippe infallibile videtur argumentum Heerboordi, *tamen in nostrò sanò sensu:* Si DEUS concurrit concursu simultaneo reali, licet homo in suo genere sufficientes habeat vires operandi; cur non etiam concurreret concursu prævio, qui ita dicitur juxta nos in relatione ad concursum simultaneum, licet homo habeat sufficientes vires ad se excitandum? *p. 73. col. 1.*] non admittimus; etiamsi Heerboordus centies falsò & malitiosè conqveratur ex negato concursu prævio & prædeterminante emerfisse fictam libertatis notionem in indeterminata *ἀδιαφορία* consistentem, & scientiam mediam, & decreta conditionata & moralem tantùm in convertendo homine DEI actionem. Quòd enim indifferentia illa non sit ficta libertatis ratio; quòd scientia media, quòd decreta conditionata admittenda jure, in prioribus disputationibus duabus evicimus cum aliis. Quòd verò Jesuitæ intulerint: E. non requiritur concursus prævius, *h. e. prædeterminans* in conversione hominis, rectissimè fecere, nam & nostri Theologi ut conforme Scripturæ idem approbant; quando verò ita: In naturalibus non requiritur concursus prævius, *i. e. singularissimus* ad vires agendi concedendas: Ergò neque requiritur in Theologicis, id per accidens fit, & à nobismet ipsis culpatur suò locò. Anne acceptio voluntatis signi in sensu orthodoxò rejicienda, quia vos eadem abutimini? Anne principia Philosophiæ Cartesianæ rejicienda, ejusq; axiomata ex totò, quia malè aliquando ad Theologiam applicantur? Apage! Quòd concursum prævium, *h. e. prædeterminantem*, repudiemus, gravissimæ subsunt causæ, uti ex argumentis *P. II. & III.* ponendis constabit. E. non est, quòd Rhetorfortis leve discrimen putet inter *Condeterminationem* [*quamvis & hoc vocabulum paulò obscurius & durius; de cæterò gratiæ Rhetorforti sunt agenda, quòd mollior quàm Ludovicus, qui pag. 383. putat, concursum identificum Prædeterminationem importare*] & *Prædeterminationem*, quando in *Disp. Scholast. de Provid. p. 384.* dicit: *Scilicet pauperes hæ præpositiones duæ, CON & PRÆ, DEUM juxta vos vel peccati condemnant, vel crimine absolvunt; & ib. pag. 394. scribit: Non est, quòd*
tantas

*tantas lites serant adversarii de innocentibus propositionibus PRÆ & CON, quia illi Condeterminationem verè causalem in actibus materialibus peccati DEO tribuunt, nos Prædeterminationem. Heu tantum mali commerita est innocens & tenuis præpositio PRÆ, ut negotium Scholæ Jesuiticæ & Arminianæ tantum faceretur: confer. & pag. 397. Perinde ac si dicerem: Leve est discrimen, an asseratur Prædeterminantem vocatum fuisse ad *aram* aut *haram*; cur enim tantum negotium facessere deberet innocens illa litera h. quæ aliàs planè pro nullâ habetur. Sanè ipse Burgersdicius Præceptor Heerbordi in Instit. Metaphys. p. 313. negavit, in actionibus naturalibus NB. *liberis* concursum prævi-um, & frustra Heerbordus, quamvis modestè, eum aggressus, quod alibi videbimus. Quando igitur Heerbordus p. 72. col. 1. vult defendere, quod non tantum in supernaturalibus sed & naturalibus concursus requiratur & simultaneus & prævius, certò respectu id possumus admittere, si scilicet verba absque prædeterminatione intelligat, certòque respectu negare, si &c. Nam nugæ & cadavera consequentiarum sunt: Datur concursus prævius E. prædeterminans. Sit ita, quod DEUS non tantum operetur *cum homine* simultaneè & concomitanter, sed & *in homine* i. e. faciat hominem agere & operari: Ergone per prædeterminationem? Et tamen hoc ipsò dependentia causæ secundæ à primâ sufficienter salvatur. Simile quod de equis adhibet, dissimile est; equus enim alteri non dat vires agendi: DEUS verò homini agenti concessit vires. Illud adhuc addere hic liceat. Putat Burgersdicius non esse explicatu facile quomodo DEI concursus identificus libertatem voluntariæ causæ non tollat. Nam si, positò concursu, voluntati non est integrum non operari, aut aliud operari, certè voluntatis libertas periisse videtur & quoad exercitium actus & quoad specificationem. (Hoc argumentum, quia dubii locò proponitur à tali, qui aliàs pro nobis, quamvis ad III. P. reservari potuisset, hîc apponere placuit, ne lector dubius hæreat: & est idem ipsum, quod cum violatione sanctitatis divinæ fermè non in omnibus paginis & lineis urget Ludovicus à Dolâ cum Richardo, Rudolpho Archi-Episc. Armeno in quest. Armenorum libr. 17. cui statim respondemus: Sacrificulus potest conficere corpus Christi; hanc actionem Conficientibus communiter tribuunt Papistæ; unde Biel in Canone Missæ: Sacrificulus est Creator sui Creatoris, & formula est talis: *Qui creâsti me sine me, dedisti mihi po-**

bi po-

hi potestatem ut crearem Te sine Te. (Horrenda dictu & auditu!) Quod verò hæc sit actio nobilissima, nemo, ut spero, Papicolarum inficiabitur. Atqui ad ejusmodi actiones DEUS concurrit concursu identifico juxta Ludovicum à Dola; arrigite aures vos reliqui Papæ Pamphili, quomodo potestis creare Creatorem sine illò, si concursus requiritur identificus? forsan eritis Creatores humanæ naturæ, scilicet! Ast ad rem, quæro ulterius, annon sacrificulus liberè conficiat? Affirmabitis procul dubio: E. habebimus actionem ad quam quidem concursus identificus DEI accedit, ita tamen ut libera sit & maneat. E. non implicat esse actionem liberam quæ sit ab immediatò & identifiçò concursu DEI: Si velis excipere: Ludovic. p. 248. tantum loquitur de verbis quod ad illa Deus identifiçè concurrat, dicimus exceptionem esse nullam.) Resp. Benè in hæc controversiâ distingv. inter *determinationem ad actionē & diductionem actionis*. Libertas judicatur ex *determinatione* non ex *diductione & determinationis executione & perfectione*. Scilicet voluntas nostra propter vires à DEO concessas vel etiam de novò donatas & conservatas prævidet inclinationem hominis liberam, quæ cum in actum deduci non possit absque concursu simultaneo DEI, decernit DEUS concursum suum non denegare, uti etiam actu in tempore non denegat. Unde & ipse Ludovicus à Dola fateri cogitur p. 388. *Si DEUS nosset illud instans in quò concursum suum debeat concomitanter conjungere, NB. cessaret omnis difficultas quæ contra libertatem actionum movetur.* Resp. Cur verò non noverit DEUS? κατ' ἀνθρώπων: Quomodo novit DEUS ab æternò inclinationes hominū ad actiones ad quas mediatè tantum concurrit? Instare potest: ex vestrà hypothesi impossibile est, ut DEUS sciat determinationem hominis liberam, quâ postea inducatur ad concursum simultaneum; nam determinatio est actio, ad omnem actionem verò juxtà vos identifiçè concurrit DEUS. Resp. quod si negaremus nos ita generaliter loqui, & ita nos declararem: Homo præsuppositâ cōservatione virium ad agendum potest se liberè determinare; neque statim admittetur consequentia: In determinatione non requiritur identificus & specialis ille concursus E. neque in executione rei determinatæ. Et sic concedere possumus quod positò hōc concursu voluntati non amplius integrum non operari; est enim necessitas hypothetica. Deinde sit ita, requiratur & in determinatione ad agendum concursus simultaneus ut

G neces-

necessarius, sanè Burgersdicius quum haftenus contra Svarezii sententiam, quæ & nobis paulò obscurior & perplexior videtur, quamvis, si rectè explicetur, omni absurdo liberari possit, pugnâisset, nodum difficultatis soluturus dicit: *si voluntas nostra determinaretur deberet concursus antecedere: At qui DEI & hominis actio est simultanea & una eademque: E. & concursus ad determinationem cum ipsâ determinatione secunda causa simultaneus libertatem non destruet.* Hæc ex ipsò Burgersdicianò principiò contra ipsum: si verò sensa animi exprimenda de re ipsâ, dubito an Burgersdicius scrupulam propositum diffârît. Quasi scilicet simultaneè NB. agentium unum alterum non possit determinare? Multa hîc & quidem ad modum plausibiliter retorquet contra nos Ludovicus à Dola totâ Parte II. qui legatur. Et nunc succederet (Z) concursus in ordine & sphærâ supernaturalitatis, qui aliàs unicò vocabulò dicitur gratia: *quamvis non omnis gratia, tam accuratè dicatur concursus, qui infert auxilium & coadjutorium; sed verba valeant sicut hodiè adulterini nummi: materia profectò difficillima, de quâ rectè Vincentius Contensonius l.c.p.687. Sicut non sine spinis rosa vernat; sic difficultatum innumeris stimulis & aculeis vallata & obsepta est elegantia gratiæ, quia nimirum magis amari avet quàm disputatione tractari; & ib. col. 2. dicit, dum gratiæ materiam pertractandam suscipit: Super onerariam navem rudis vector imponor (phrasi utitur Hieronymi, quippe aliàs versatissimus in Patribus, ex Epistolâ 49.) & qui nec dum scalmum i.e. minorem cymbum in lacu rexi, maris credor fragoribus, nunc mihi evanescentibus terris, cælum undiq; & undiq; pontus: nunc unda tenebris inhorrescit, & cæca nocte nimborum spumei fluctus canescunt &c.* quæ etiam prolixissimè posset pertractari: ast nos brevissimis erimus contenti. Sermo nobis hîc planè non est *de gratiâ gratis datâ*, qualis erat donum lingvarû, miraculorum &c. Sed *de gratiâ gratum faciente*; & quidem in hîc ultimò significatu iterum non tam respectum habemus *ad gratiam DEI vel sanitatis* (ita dicitur, quod non intuitu meriti Christi nobis in morte constitutis donata, aliàs omnis gratia est à DEO!) qualis collata erat Angelis & Protoparentibus in statu innocentia; quàm potius *ad gratiam Christi seu medicinalem*, quæ nobis confertur propter mortem innocentissimi & sanctissimi Filii DEI. Fit autem hæc collatio ordinariè in verbò prædicatò & Sacramentis; *extraordinariam gratiam non negamus qualis contigit Paulo in*

lo in

lo in viâ Damascenâ, sed neque hæc necessitavit, contra Braunium in Doctrinâ Fœderum pag. 195. & quidem quia conversio nostra non momentanea sed successiva, recensentur etiam communiter varia genera gratiæ. Intellectus noster densissimis tenebris obcecatus, & voluntas nostra ad bonum mortua, sunt excitanda; hinc gratia *excitans* & *præveniens*, ad quam pertinent motus primo primi boni; hæc gratia nobis est indeclinabilis; & quemadmodum prohibere non possum ut quis præter spem ostium meum pulsset; ita & hanc gratiam non possumus declinare, ne DEUM cor nostrum pulsantem sentiamus & audiamus, quamvis malitia nostra tanta, ut potius ostium cordis oclusum velimus; si verò aperimus & malitiam deponimus, totum hocce salutare opus Spiritui Sancto excitanti & operanti adscribendum, ita tamen ut etiam potuissemus non solum pulsantem DEUM sed & Spiritum Sanctum qui nos ad traditionem propugnaculi cordis nostri excitavit, repudiare. Si verò Spiritum Sanctum admisimus *ex concessis* & *dativis viribus*, nequaquam verò *nativis*, & bene operari desideramus, tunc in bono perficiendo Spiritus S. nobis cooperatur, unde gratia *cooperans*, uti prior operans dicenda. Quia verò assistentia Spiritus Sancti requiritur non in initiò tantum operis supernaturalis, sed & in progressu usque ad finem dum ex hac vitâ discedimus; aliam gratiam appellant *incipientem*, aliam *continuantem*, aliam *perficientem* (*scio equidem alias & aliò respectu hos terminos citari*) ut taceam cœteras divisiones respectu objectorum circa quæ actio supernaturalis occupata, ubi alia gratia *fidei*, alia *sanctificationis* &c. de gratiâ habituali infusâ justificationis nos nihil scimus. Quælibet verò gratia collata, quantilla etiam, ex seriâ intentione divina & in se est *sufficiens* & *efficax*, ad id efficiendum ad quod à DEO donata. Legatur omninò Hülsem. de A.G. p. 30. Id quod Thomistæ & Calviniani concedere nolunt, quamvis multoties variâ vocabuli acceptione ludere videantur. Hinc gratiam *sufficientem* non tantum *exterio-rem*, sed & *interiorem*, quâ homo quidem fit volens, sed tantum imperfectè & semivolens, dicunt *adjutoriū tantum possibilitatis*, quod comparant alimentis sine quibus equidem homo nequit vivere, neque tamen moribundus continuò vivit. Benè; maneamus in simili; DEUS habet hominē moribundum in peccatis animæ; desiderat cordicitus ipsius vitam; confert verò *alimenta* quum deberet donare *medicamenta*; efficacem ve-

rò appellant *gratiam actionis*, & comparant beatitudini, quâ, ut data fuerit, homo continuò fit beatus. DEUS sic erit medicus, qui quum posset aquâ rosaceâ ægrotum sublevare & juvare, porrigit Salanam. Omnino enim mirificè nobis gratiam sufficientem delineant, non aliter ac Amyraldini gratiam universalem sub hypothese quam non semel Spanhemius *derisoriam, illusoriam, frustraneam, bistrionicam, deceptricem, sicut apud inferos Tantalus à labiis sitiens fugientia captat flumina*, nuncupavit. Sic enim Contenson p. 754. 755. *per sufficientem gratiam non intelligimus tantum externam sed & internam, quæ tamen juxta Augustinum (vos Augustinum non assecuti juxta Hulsem. de A. G. p. 36.) NB. parva & imperfecta respectu conversionis, quam non efficit quam tamen efficere posset: (imò neq; hæc sufficiens dicta gratia efficax esse potest modò ordinariò, etiam si DEUS vellet, nam non est directæ ad ingenium & temperamentum vocati, Hulsem. l. c. p. 97. breviter: non est gratia juxta vos congrua.) sc. si alia, efficax nempe, accederet. En ineptias & illusiones! Lepidè dixit Auctor Epistolarum provincialium: id demum sufficit, à quò nihil abest necessarium. Hæc germana vis istius vocis, Gratia quæ aliam requirit, non sufficit. Verbum enim SUFFICIENS ita omnes interpretantur & eodem omnes sensu accipiunt. Mulieres omnes, h. e. totius orbis dimidia pars, aulici ac militares viri, magistratus ac tota turba forensis; mercatores, opifices, plebeji, ad extremum, universi homines id demum sufficiens appellant, in quò insunt omnia necessaria ad agendum: Atqui si juxta Pontificios gratia ita comparata, ut temperamento hominis non accommodata & juxta Calvinianos non infallibiliter ερεφικάρδιος; quomodo erit sufficiens? Extricare se voluit Contenson p. 755. dicendo: *Esse, posse, & operari in ordine supernaturali, uti aliàs in naturâ, benè esse distingvenda; gratiam sanctificantem conferre Esse, sufficientem dare Posse, & efficacem Operari; jàm verò sufficientiam esse non respectu actus, sed potentia. Hanc sc. gratiam sufficientem conferre homini POSSE licet non VELLE.* Neque per hoc pervulgatas hominum notiones convelli: ubique namque terrarum illud sufficiens homini dici, præter quod nihil exigitur, nisi ut velit; sic ille cibus sufficiens dicitur, præter quem alius non exigitur, sed sola expectatur hominis comedentis & dentes applicantis voluntas: illa pecunia dicitur sufficiens, quâ homo ære alieno gravatus debita solvere potest, nec aliud requiritur quàm ut numeret.*

meret.

meret. Resp. benè; requiritur sufficientia non solum rei & gratiæ, sed relativè respectu salvandi. Quæro porrò: An DEUS per hanc gratiam seriò velit hominum salutem; si affirmas, insto: Ergò hæc gratia etiam rò Velle debuisset impertire, quia homo miser post lapsum totus in peccato VELLE ex naturæ viribus non habet: aliàs perinde erit, ac si misericordiâ ducerer erga Thomistam esurientem, cui labia oris concrevere, porrigerem eidem ingentem particulam panis cum pullò gallinæ assato, & tamen, licet possem, os ipsi non solverem: Vel: Omnes Cardinales contra ordinem Melchisedek communibus simul & unanimibus votis atque suffragiis Contensonio Pio & Reverendo Patri mitram aut coronam Pontificalem adjudicavêre & obtulêre, ut capiti imponere posset; non potest autem velle Contensonius illam accipere, quia à Patribus & Fratibus sui ordinis mirum quantum impeditur: Si Cardinales invidios illos fortunæ redigere possent in ordinem, & tamen non facerent, quis patietur sibi persuaderi, seriò Contensonium ut Regentem Ecclesiæ ab ipsis electum: erit electio insufficientis, illusoria, præprimis si de impedimentis ipsis ante electionem & oblationem honoris Pontificalis constiterit. Manet igitur verissimum, quòd prædicta gratia insufficientis, quod & agnovit in Concil. Trid. Catherinus. *vid. Histor. Concil. Trid. Svav. p. 242.* Aliorsum tandem Contenson se vertere non potest, quàm cum Augustino ex *libr. I. contra Crescon. cap. 13.* dicere: *Cum res ipsa intelligitur, minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit.* Et res etiam est contra Scripturam & hæretica. Hinc B. Hülsemannus *loc. cit. p. 31. seqq.* *Gratia sufficiens juxta explicationem adversariorum est πειρίστωμα absolutæ reprobationis, æqvè ut Clariss. Noldius in Leg. dist. p. 82. hæc gratia non est absimilis colosso Nebucadnezaris, cujus caput aureum, corpus verò in vile metallum desinebat; aut poterit comparari pomis Sodomiticis:* est aqvea distinctio à Claudio Aquaviva Jesuitarum Generali publicò decretò annò 1613. confirmata, cui alii Jesuitæ, Becanus, Molina, Lessius, Mascarenas &c. contradixerunt. Benè tamen *ib. p. 33.* distingvere jubet *inter sufficientiam respectu proportionati effectus, & inter sufficientiam absolutam ratione finis ultimi.* Quomodo verò aliam gratiam sufficientem defendant Arminiani & Calviniani à Jesuitis vide apud Hülsem. *l. c. p. 266. seqq.* idem tamen monstrat *pag. 275.* quomodo convenient. Gratiam efficacem

crassiùs defendunt Calviniani rigidiores; unde Piscator *in amicâ collatione* dicit, *DEUM armatum omnipotentiâ suâ Electos debellare*; subtilius verò paulo Jesuitæ, qui *meram congruam crepant gratiam*, quam dicunt *majoritatem beneficii*, cum aliàs omnis gratia respectu Entitatis physicæ efficax; legatur passim Hülsemannus, quam & multi Calvinianorum, pertæsi gratiæ inevitabilis, irresistibilis, prædeterminationis physicæ &c. amplectuntur ambabus. Forsan Lojolitæ ab hâc gratia eò pervenère, ut *in seductione hominum cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter loquantur* &c. In genere verò notetur de omni specie gratiæ, etiam prævenientis, quod *DEUS physicè* in nostrum intellectum & voluntatem agat, quia in Scripturâ dicimur *ἀγαθὸν* à Spiritu S. contra Svarezium. Nam de omnibus Societatis Patribus id non affirmamus. vid. August. Erath *p. 356*. Multi enim concedunt etiam gratiam *prævenientem*, quam aliàs *causalem* dicunt, influere physicè. Neque tamen sequitur, quod Arminiani intendunt: Si gratia agit *physicè* & non *moraliter* in voluntatem, tolletur libertas. Nam & in moralibus habitus agit in voluntatem physicè, & tamen actiones hominis virtuosi dicuntur liberæ. De hoc concursu ad actus supernaturales legatur & Ludovicus à Dola *p. 433. seqq.* Quotupliciter gratia efficax sumatur lege apud Augustinum Erath *p. 365. seqq.* ubi omninò eruditè & perspicuè per multas paginas disserit, tum de natura gratiæ efficacis, tum de resolutione gravissimarum quæstionum: (α) an gratia eadem æquali modò oblata apud unum sortiatur suum effectum, apud alterum nequaquam. (β) *p. 377.* an efficacia auxilii ita sit sub omnipotentia & dominio DEI, ut pro quovis homine habeat certa auxilia; & an possit eam vocationem in nobis efficere, quam ipse voluerit, scil. vel efficacem, vel inefficacem, quia DEUS aliquando prævidet, hominem majori gratiæ dissensurum, & minori consensurum. (γ) *p. 378.* an sit in potestate hominis habere gratiam efficacem; ubi distingvit inter entitatem gratiæ physicam, & inter connexionem infallibilem cum effectu: addit porrò: DEUS plurimas habuit gratias pro Judâ, quas si ei dedisset, pœnitentiam egisset, æquè ac S. Petrus; sed DEO non libuit. E. sic gratia efficax non fuit in potestate Judæ: & fuit in potestate Pauli ipsa efficacia, seu ut hæc gratia, quæ ei datur, fuerit à DEO cognita ut efficax, sed ut ei daretur illa gratia, quæ prævidebatur fore efficax, non erat in potestate Pauli &c.

§. XII. Dum ordini gratiæ actiones liberas adscribo, non intendendo hæresin vel Pelagianorum, qui vires hominis per lapsum planè illæfas; vel Semipelagianorum, qui vires tantùm labefactatas in supernaturalibus, in naturalibus autem integras finxere: Semper enim Ecclesia vera media inter duos hæreticos, sicuti Christus inter duos latrones crucifigitur: [jocando hîc cum Becano ludo, qui Tom. I. Opusc. Opusc. I. Cap. II. p. 834. Catholicos constituere veram Ecclesiam inter duos hæreticos, Pelag. & Calvin. (*cur non addidit & Lutheranos?* scilicet elegit sibi hætenus Calvinianos non Lutheranos hostes; vid. Epistol. ejusdem ad B. Balduinum *de Communione sub utrâque, quæ habetur T. II. Opusc. p. 993.* aliàs sanè in Conciliò rudissimi Patres, vel, si mavis, mali-tiosi, Lutherum non capientes, ejus doctrinam de L. A. dixêre *Sapientiam phreneticam; voluntatem ab ipso fabricari monstrum. Svav. p. 236.*) uti Christus pependisset inter duos latrones. Ast Christus erat mortuus, cum duo pessimi illi homines & nebulones [*nisi alterum jam à crimine velis absolvere post actam seriam pœnitentiam*] adhuc viverent, unde & crura ipsis frangebantur. Forsan in malitia planè vivus designavit Pelagianos, alter verò licet resipiscens, vitâ tamen naturali in cruce Christum superans, præfiguravit Semipelagianos; nos verò dicimus, hominem esse mortuum in peccatis juxta Scripturam; nos igitur illæsi relinqvendi; vestræ verò doctrinæ de L. A. in spiritualibus crura frangenda:] Sed hoc volo, hominem irregentū gratiâ Spiritûs Sancti præventum, si accepit vires gratiam admittendi, posse vel admittere, vel non; vel admittere hanc gratiam, vel illam; posse adjutum à Spiritu S. gratiam collatam vel ad actus bonos spirituales promovere, vel non; vel promovere ad hunc, vel alium actum; posse, collatâ tamen prius gratiâ perseverandi, vel perseverare in hâc, vel in illâ &c. Actiones supernaturales ut prolixè recenseam, non erit opus; si modò ruminabimur materiam de gratiâ, actiones vel effectus exinde emanantes constabunt: e. c. salutariter verbum audire, gratiam admittere, admissam promovere, credere, se sanctificare &c. Actiones verò in ordine naturæ etiam sunt variæ. *Necessarias*, & quæ in nostrâ potestate non sunt, excludimus, ut crescere &c. *Liberas* verò, ut: ambulare, sedere, cubare, benefacere &c. hîc ad controversiam vocamus. Hæ verò iterum vel *bonæ*, vel *malæ*; illæ, quæ conveniunt cum normâ regularum præscriptarum

ptarum

ptarum; hæ, quæ cum eadem discordant. Præprimis respectu posteriorum difficultates maximæ in hac materiâ motæ; unde distingvere jubent *materiale à formali* harum actionum, & materiale iterum subsecare in *proximum & remotum*; quia omninò vix concipiendum, quomodo materiale proximum à formali discrepet; unde & B. Scherzerus, Vir, dum viveret, maximi ingenii, in System. dum agit de concursu DEI ad actiones malas, defendit concursum *ad materiale remotum*, quod equidem non tam lubens defendit, quantum perspicere possum ex discursu super locum illum habitò, [remanent enim juxta Contensonium *l. c. p. 716.* spinæ vel maximè nos pungentes;] quia tamen multoties cum suo Hülsemanno hac de re collocutus, aptiorq; via ad sanctitatem DEI defendendam nunquam patuerit, se quasi necessitatù hoc fecisse scribit. Biel subtiliter distinxerat *1. Sent. dist. 47. qu. 11. inter malum facere & facere malum*, sed Gerhardus non approbat de Provid. *cap. 9. qui l. c. p. 72.* simpliciter distingvit inter *materiale & formale*, & non sine causa factum putat, ut Scriptura duplici respectu loquatur. Rom. I. *vers. 24.* dicitur: DEUS tradidit gentes in reprobum sensum; ast Actor. XIV. *vers. 16.* permisit eas ambulare in viis suis. Ne inducas nos in tentationem, Matth. VI. *vers. 13.* Ast Jacob. I. *vers. 14.* nemo, cum tentatur, dicat, se à DEO tentari, sed unusquisque tentatur à propria concupiscentia. vid. plura ib. ubi discurret de concursu DEI ad actiones malas, quæ tamen non tam ad nostrum institutum præsens. B. Calovius verò, quando distinxit inter *materiale & formale*, addit in Theologia positiva p. 211. de actu positivò ac materiali, quod vocant, & à formali distingvunt peccati, distinctè loquendum est, prout nempe ἀταξία vel inseparabilis est, vel separari potest à materiali & actu positivò. Res diffuillima profectò est: Augustinus Erath refugium quærit in Omnipotentiâ DEI, dicitq; p. 340. *Modum præcisivum influendò concedunt Thomistæ NB. soli DEO, ita ut nulla creatura adeò dexterè ac subtiliter in peccatum physicè vel moraliter influere possit, quin attingat etiam formale peccati, sitq; propriè dicta causa illius.* Et Ludovicus à Dola p. 355. asserit: *Periculum esset, ne omnes scandalò afficerentur illà distinctione inter materiale & formale peccati, nî assertores concursus proximi & identificati, qui totò fermè orbe Christianò feliciter valdè gymnasiis præfunt, studiosorum mentes primùm in Philosophiâ, deinde verò in Theologiâ suis adeò imbuerent principiis, ut discipulis rem istam non satis pro-*

pro-

profundè penetrantibus Magistrorum suorum sententia sola vera videatur. Ast cur tu ipse Ludovice p. 447. dicis: *Si quis contendat ipsum, etiam actum pravum, quatenus est Ens aliquod physicum, esse aliquò pactò à DEO, non renititur.* Jam quæro, quodnam est illud pactum? forsitan permissivum; ast sic etiam formale actuum peccaminosorum erit à DEO; si respectu virium concessarum; & vires DEUS ad peccandum concessit: Si dicis excitando; ast quomodo DEUS poterit excitare ad materiale actus peccaminosi, ut simul non excitet ad formale. Habeas igitur eandem difficultatem: pag. enim 263. seqq. concursum ad actus pravos quomodo immediatum dixerint, explicat, sc. quemadmodum prima principia in demonstrationibus immediata appellari solent. Mihi hinc perplacet Robertus Baronius [legatur & Excell. Dn. Rudrauff in Instit. Metaphys. p. 866. seqq.] qui optimè explicat, quomodo DEUS, licet concurrat ad omnem actionem etiam vitiosam, & ita quoque ad materiale proximum, tamen non sit auctor peccati, quia tertium requisitum actionis moraliter vitiosæ, sc. determinatio ad talem speciem actionis, quam vitiositas immediatè comitatur, desit. pag. 158. seqq. & juxta Contenson. *antequam DEUS ad materiale concurrat, homo constituit à DEO deficere. DEUS enim ex munere & NB. debitò causæ primæ [sicut sol in generatione monstri,] in actionibus malis, quod suum est, facit; homo verò non facit quod suum est; E. homo turpiter agit, non DEUS.* Illustrat etiam rem equite & equò, illò acriter & diligenter calcari incitante; hoc verò nihilominus tardissimè incedente; sanè vitium equitanti non imputandum ib. p. 159. 160. pag. 161. respondet ad objectiones, p. 162. monstrat, quomodo distinctio inter substantiam actionis & malitiam difficultatem non tollat. Alii illustrationis locò adducunt claudicationem, in qua duo attendenda, motus localis & obliquitas; jam quicquid de gressu sit, esse virtutis gressivæ, quicquid verò de obliquitate, esse tibiæ curvæ vel curtæ; alii proponunt cytharæ aut organæ aliàs peritum, cui *δυσφωνία* non adscribenda, sed instrumentis & fidibus non rectè constitutis. vid. Excell. Faust. l. c. p. 42. sed Ludovicus l. c. p. 366. seqq. hæc omnia rejicit ita: *Si claudicatio seu motus progressivus obliquus esset actus intrinsecè pravus [uti actus pravus] atque illicitus [moraliter] & potentia gressiva agens liberum, [uti DEUS] nunquam illi esset licitum & honestum claudicare aut ambulationem obliquam*

producere, ne quidem cum tibiâ ex culpâ propriâ curvâ & curtâ. Neque sanè excusari posset eâ ratione, quod cum tibiâ curvâ non poterat alium meliorem gressum producere, & quod per potentiam gressivam non steterit, quò minus produceret motum rectum, sed per tibiâ; debuit enim potius gressum nullum producere, sed in æternum immobilis manere, quàm gressum in se turpem producere. Resp. (α) quòd, si necessariò ambulandum, etiamsi ingressus curvus in se malus, attamen potentia gressiva sine culpa possit ambulationem curvam producere. (β) Jam quare agens rationale si iners relinqueretur? ubi juxta vestrum stylum meritum & demeritum? (γ) cur non etiam eòdem modò infers: Si DEUS scivit potentiâ indifferenti hominem abusurum, debuisset nunquam homini illam concedere, vel vires ad agendum datas conservare. (δ) adhuc igitur pro nobis pugnat determinatio ad specificationem actionis, quæ non DEO sed homini competit: unde eâ facilitate, quâ protulit mox citanda verba ex pag, 332. eadem etiam à nobis rejiciuntur: Nulla sufficiens ratio adfertur, cur homo liberè efficiens actionem intrinsecè turpem, adversus rectam rationem, contra divinum amorem & sanctitatem agat; DEUS autem concurrens etiam proximè, identificè, effectivè ad eandem ipsam actionem illicitam, secundum omnem gradum entitatis non modò genericum, sed & specificum & singularem, excusetur ab iniquitate, & non agat contra rectam rationem: neq; p. 144. prolata curamus: *Si prædeterminatio physica ad actus malos rejicitur, multò magis rejiciendus concursus identificus & indistinctus ad eosdè actus, cum prædeterminatio se habeat instar causæ ad effectum, concursus verò hic sit planè unus & idem cum actione hominis. Ad instantiam: Qui adjuvat homicidam & auxilium fert, sine quo homicidium non potuisset perpetrari, licet homicida se determinârit prius ad hoc mortale peccatum, à crimine tamen non absolvetur, similis erit ratio de DEO: respondebimus. Quod verò libertatem attinet, & quod primò detur, certò certius est, & sanè negans non tam verbis quàm fustibus refutandus dicitur Arriagæ in Cursu Philosoph. disp. VIII. de libertate voluntatis p. 545. quòd si enim misericordiam exoraret, ipsi esset respondendum: non esse in nobis libertatem accessandum à fustibus: & hoc aliquando Catholicum judicem prudenter respondisse cuidam hæretico morti adjudicato ac misericordiam expetenti; at de ratione formali disceptatur, quam, nî insigniter fallimur, quantum*

tum.

tum fieri potuit, defendimus, quòd consistat in indifferentia ad agere & non agere, & ad operari hoc vel illud, in superiori disputat. de Præscientia &c. contra Collegii Regii Nemaufensis Professore celebrem: quæ & Revii Repurgatoris Svarezii distinctioni inter indifferentiam in actu 1. & 2. opponi poterunt: legatur & Contens. T. I. p. 815. seqq. actum reagere nolumus, unde ad illa hâc vice provocamus. Regerit, quidem Reformator Svarezii Jacobus Revius p. 276. sententiam Svarezii, quòd in homine sit aliqua potentia activa, & svavi & intrinsecâ naturâ libera, habens tale dominium suæ actionis, ut in ejus potestate sit eam exercere, & consequenter hanc vel oppositam actionem elicere: esse superbissimam assertionem, & arbitrium nostrum in sede DEI collocare, hominem omnipotentem facere ac proinde DEUM: & pag. 89. Sic habes L. A. ut idolum sedens in throno DEI: DEUM autem suam eimotionem pro ejus lubitu subministrantem, quæ cum absurda & blasphemata sint, negamus hoc omne &c. Sed si negare sufficeret, negarem Revium repurgasse Svarezium; frivolas verò rationes discutiemus infrâ in argumento: Sic erit aliquid independens à DEO. In genere hoc reponimus: Ad actionem liberam requiritur *περσαιρεσις*: *περσαιρεσις* verò non est *ἐκέρσιον* simpliciter, sed *ἐκέρσιον περσβεβλενυμύον*; legatur Philosophus t. 3. Ethic. cap. 7. Nam indifferentiam illam materiale respectu receptionis, ubi adversarii putant nos instar ceræ posse suscipere hanc vel illam formam pro libertate DEI, & ita determinationem nostrarum actionum liberarum esse tantum extrinsecam, sunt verba sine re: & fanè sic homo tantum liber erit à coactione; rectè verò respondetur: ita etiam bruta erunt libera, imò lapides quoque juxta Dn. Faustium l. c. p. 35. nam & hi possunt recipere determinationem motûs vel sursum, vel deorsum, vel sinistrorsum vel dextrorsum, adjunge & Ludovic. à Dolâ l. c. p. 198. Nec est quod regerant adversarii, esse disparitatem: *hominem enim agere cum ratione, bruta verò sine ratione*; nam resp. hoc tantum est accidens; juxta hypothesin enim adversariorum, etiam Dominicanorum, quicquid Augustinus Erath protestetur p. 315. [quamvis hoc concedamus, illos non tam crassè loqui; vid. Hülsemann. de Aux. Grat. ubi ipsorum sententiam in spherâ gratiæ exponit p. 302.] ratio libertatis in spontaneitate est posita, & liberè agere juxta ipsos formaliter est, non coactè agere; jam etiam hoc deprehendimus in brutis &c. vid.

Slevogt. l. c. p. 559. Jam inferimus ulterius: Si non magis liberi homines quam bruta, actiones eorum non erunt moraliter bonæ vel malæ: Ergo impunè poterunt exerceri promiscua libido, mutuæ cædes, rapinæ, &c. quia & hæc impunè inter bruta exercentur (hoc esset ferculum conditum & ad palatum Epicur. & Atheorum) ib. p. 560. seqq. & nemo profectò reprehenditur propter id quod vitare nullò modò potest vel potuit. confer. & Baronii Metaphys. p. 381. Unde rectè Pomponatius l. 2. de Fato c. 1. *legem velle imponere taliter agentibus perinde est ac si quis asinum docere vellet* Philosophiam; ecquid enim discrepat hominis prædeterminatione acti locutio à locutione asinæ Bileamicæ? legatur hîc in Hodom. Calvin. Dannh. p. 898. seqq. Eat nunc Maccovius cum suò monstrò Ethicò, libertate scilicet in spontaneitate consistente etiam si ratio præcedat disp. 16. de Prædestin. p. 53. non magis sanè conqveri poterit de injuriâ ab homine illata quam si ab asinò calcibus petitus. Neque obstat: *Beati determinabuntur à visione beatificâ ad DEUM amandum & tamen liberè amabunt; & actus supernaturales sunt à principiò extrinsecò, auxiliò sc. DEI forinsecus adveniente & tamen sunt voluntarii: Ergo non omne liberum necessitatem excludit.* Resp. si voluntarium idem ac liberum, inter quæ aliàs distinctio, legatur Contens. l. c. p. 311. nego quod amor DEI ex visione beatificâ oritur sit liber. Quod actus supernaturales concernit, nego quod voluntas ita passivè se habeat ut gratiam illam repudiare planè non possit. Sc. tu putas per omnipotentissimam potestatem (ut loquitur Augustinus) gratiam non AUFERRE liberum arbitrium dum ad DEUM convertit, sed TRANSFERRE, non inferendo necessitatem, sed inspirando DEI dilectionem; unde etiam Cœlestinus Papa Epistol. ad Episcop. Galliæ: *Quò auxiliò & munere DEI non aufertur liberum arbitrium sed liberatur, ut ex tenebrosò lucidum, ex pravò rectum, ex languidò sanum, ex imprudente providum fiat.* Resp. Atquæ juxta vos ita transfert arbitrium ad DEUM, ut dilectionem inspiratam non possit declinare. E. profectò homo necessariò & irresistibiliter convertetur. Instas: *Benè! non velle converti est libertas imperfectionis, & non tam libertas quam libertinitas; non ornamentum voluntatis, sed probrum, non pars & perfectio libertatis, sed vitium & miseria creaturæ: Eliget DEUS per gratiam tollat hanc libertatem spuriam, vera nihilominus remanebit libertas.* Resp. Illa verba libertas quam tu fingis NB. in sta-
ut

tu corruptionis re ipsâ est summa & inevitabilis necessitas. Cæterum quàm miserè se torqveant Pontificii, quum Constitutio Innocentiana : Ad merendum & demerendum requiritur indifferentia : instantiâ labefactatur : *At qui in Christo fuit meritum ad minimum respectu hominum peccatorum*, quod & hæretici admittunt (sic nos in lutô hæreseos fermè suffocati appellare consverunt Papæi) & tamen non indifferentia , sed benè agendi necessitas & peccandi impossibilitas : E. libertas à necessitate ad veram libertatem non requiritur ; vid. apud Contenson. l. c. p. 816. qui putat in hóc argumentô unum ex difficillimis universæ Theologiæ nodis tangi, quem aliquando DEO benè vertente solvendum promittit. Rectè tamen ibidem monet constitutionem Innocentianam de statu lapsus intelligendam. Quod Dominicanos Pontificios attinet, non miror ipsos hoc monstrum libertatis defendere ; hæc enim fuit libertas Tridentina. Convocabantur Archi-Episcopi, Episcopi, Presbyteri &c. ad cōtroversias obortas sopiendas, & tamen in totum Conciliabulum illud (vel, si dicendum Concilium, dicatur miserabile, uti Palæstinum Diospoli congregatum,) dependebat à tribus homuncionibus Paulô III. Juliô III. & Piô IV. Decretum Romæ erat formatum ut omnia tractarentur Proponentibus Legatis, & cum Vargas Orator Hispanus huic aliquantum sese opposuisset & petiisset ut in locum verborum : *PROPONENTIBUS LEGATIS* substituatur sequentia : *LEGATOS PROPOSITUROS* : aliàs enim hoc decretum Episcopis omnem proponendi libertatem adempturum , Pius IV. indignabundus respondebat : Non tantum sibi esse otii, ut cujus generis & cujus casus cogitare possit ; vid. Svav. H. C. T. p. 586. 587. & tamen omnes Dominicani hoc Conciliô pro liberô habent. Disceptabatur in Conciliô sic dictô de Residentiâ an sit juris divini an positivi (sc. humani :) Cardinalis Mantuanus & Simoneta in jure Canonico juxta Svavem maximè versatus, & ad Patris purpurati honorem per omnes gradus munerum in Curiâ Romanâ grassatus totam rem, quam pro auctoritate proposuerant, NB. Papæ soli commiserunt, unde conqvesti Hispani, servitute intolerabili iterum initium fieri Concilii tempore Pontificatus Pii IV. uti elapsis annis Pontificatum Pauli III. & Julii III. Omnes enim Synodi tractationes Romæ non modò expendi ac considerari, sed & deliberari & constitui. A Patribus nihil sed omnia Romæ definita, sic ut per omnium ora vulgo jactetur infami proverbio :

verbiô : Spiritum illum Sanctum, qvi Tridentinæ Synodi confilia guber-
nat, in manticâ clausum Româ subinde mitti. (vid. Andrea Dudithii
Qvinque Eccles. Episcopi Epistolam ad Maximil. Cæsarem &c.) & eos
Pontifices Ecclesiæ minori offendiculo fuisse, qvi conuocationem Con-
cilii omninò detrectârunt, qvâm qvi convocatum NB. sibi seruum & ob-
noxium esse voluerunt, & tamen omnes Dominicani hoc concilium pro
liberô habent. Barbatuli adolescentes luxuqve perditu ad sententiam
Papæ conducti Tridentum volitârunt; vid. H.C.T. Præfat. à Neutonô
editæ (de quo obiter addere liceat, qvæ Excellentissimus Dominus L.
Fellerus Patronus noster sine felle, cui perpetuam observantiam polli-
cemur, ad exemplar Hulsemanni annotavit : *Historia Concilii Tridentini
ab auctore italicè erat conscripta; Adamus verò Neutonus Scotus idiomate
latinô eandem donavit; de quô Clarissimus Dauberus J.C. Orat. funebr. in
excessum Andreae Riveti p. 15. Hic ille Neutonus est (nam eô Sammexenti-
næ scholæ moderatore, seq; Pontificium tunc simulante, Rivetus græcas lite-
ras didicerat) versionis latinæ historiæ Concilii Tridentini auctor, qvi in
Scotiam reversus Principis Scotiae Filii primogeniti Henrici Ephorus, ean-
dem Salisburiensis Ecclesiæ Decanus obiit;) confer. & Hugon. Grotium in
Epist ad Joh. Cordesium (est inter Epistolas ejus ad Gallos CXXII.) Pa-
pa singulari scriptiois genere occultô, Cifram vocant, absolutam suam vo-
luntatem Legatis communicavit Svav. L. II. p. 123. Plurimis Episcoporum
ingentem pecuniæ summam exsolvit aureôq; fulmine prostravit ib. p. 128. 135.
quô & terruit Præsules Transmontanos, amplitudini Italiae sedisq; Apo-
stolicae infestos, provocando ad densissimas suas nubes : Habere se in nume-
ratô decies centena millia aureorum : neq; si res postulet, alia totidem desi-
deratorum : ib. l. 6. p. 586. it. p. 593. conducuntur milites armati (sc. pro-
pter periculum belli & adventum Saxonis Herois Incomparabilis Mauritii
ib. p. 85.) Paulum Vergerium Lutheranismi suspectum nemo tolerare vole-
bat in Conciliô, Romam illum mittebant, & quid gravius in illum decrevis-
sent, nî suspicio Germanis exinde oritura Concilium non esse NB. liberum
ib. p. 196. propter Cleri & Academiæ Lovaniensis petitiones Archi-Episco-
pus & Elector Coloniensis Archi-Episcopatu cedere jubetur, & ita Papa an-
te Concilium absolutum dissentientes pro convictis habet pag. 181. Bracius
Martellus Episcopus Fesulanus Tridentô excluditur, & à Cardinale Polô
asperrimis verbis excipitur in doctrinâ de Traditionibus; Cardinalis Man-
tuanus*

tuanus

*tuanus premitur aliò Cardinali Job. Baptista Cigalà ib. p. 588. Orator Gallus LIBERUM concilium flagitat, Papa respondet modeste quidem, at sub pectore premebat tyrannidem ib. p. 590. ut cœtera innumera taceam quæ in lectione Svavis mihi annotavi (quem scriptorem quidem Pontificii communiter mendacissimum dicunt ; ast videant modò, quomodo Scipionem Henricum, qui Delingæ scriptum contra Svavem edidit, & suum Pallavicinum à mendaciis liberent, quum ipsimet adhuc dubitent, cuius magis fides habenda, an Henrico an Pallavicino, legatur Tractatus Cæsaris Aquilini Amstelodami impressus de tribus Historicis Concilii Tridentini : Sunt quæstiones facti : utinam Petrus Svavis vel si mavis, Paulus Sarpus Servita adhuc superesset, procul dubiò vobis esset responsurus pro meritò) & tamen omnes Dominicani Prædeterminantes hoc Concilium pro liberò habent. Forsan fuere actiones mixtæ : Scilicet ! Distingvant modò cum Contenson: T. I. p. 375. inter decernere ex metu & cum metu. Profectò sicut Episcopus Auriensis qui in Conciliò proposuerat debere decerni : *quod generalis Concilii decretis Caput ipsum (Pontifex) obligetur* : cum à Patribus reliquis susurrus excitaretur, silentium indicebat distingu. inter virtutem directivam & coactivam, & Pontificem tantum priori modò restringi, Svav. l. 6. pag. 665: ita etiam dicunt decreta DEI tantum *dirigere non cogere* homines. Sed quàm proximè quoad rem directio hæc accedat coactioni, notissimum est. Possem addere, quod juxtà Bullam Innocentii editam annò 1653. Dominicani ex sententiâ Innocentii X. fiant hæretici, sed transeat. Legatur interim Contenson. l. c. p. 813. col. 1. Aliàs ratio libertatis, quod consistat in indifferentiâ etiam ex multis Scripturæ dictis, poterit stabiliri. Es. V. v. 4. DEUS malitiam Judæorum aggravaturus ita iudicibus acclamavit: *Quid ulterius vinea mea facere debuissim?* Si prædeterminatio necessaria, respondere potuissent : debuisses hoc ultra facere & nos prædeterminare ; legatur super hoc dictum omninò Ludovicus à Dolâ l. c. p. 197. sic enim ille : *E. hoc objurgandi modò constat, potuisse Judæos sine aliquâ prædeterminatione physicâ facere uvas i. e. opera bona, & è conversò, eos fecisse opera prava absq. Prædeterminatione ad ea : alioquin sanè potuissent DEO objurganti respondere : Domine, aliquid ultra faciendum tibi erat vinea tua ut faceret uvas ; sc. faciendum erat decretum prædeterminandi eam & danda prædeterminatio physica sine quâ fructum!**

fructum!

Etum pietatis habere non poterat; & quia non potest etiam labruscas facere, i. e. opera prava sine prædeterminante motione ad ea, sumptâ pro materiali; debuisti non dare illi prædeterminationem ad materiales peccatorum actiones, utpote sine qua bujusmodi opera prava non fecisset, quæ etiam è converso præsentate prædeterminatione ad illa evitare non potuit: legatur & B. Dannh. in Hodom. Calvin. p. 1093. cum Augustinô Erath, qui in unione Theolog. p. 282. putat, non sine mysteriô dici: Quid est quod ultra DEBUI facere vineæ meæ: non autem: Quod ultra POTUI. Serram disceptationis non lubet reciprocare, agnosco enim exinde aliud mysterium, quod Monachi & scholæ Professores plerique fontes non adspiciant & gustent, qui ita fluunt: *מה לעשות לכרמי* Forſan provocabit ad Vulgatam avthenticam. Aſt à Virô ſapienti, qualis Auguſtinus Erath, illa mihi non promitto, quæ impudens Gregorius de Valentiâ Martinus Antonius Dellrio in Pharo Sapient. Joh. Euseb. Nieremberg, scabioſus Gretſerus aliiqve innumeri ſibi propria fecerunt: Latinum Textum non eſſe corrigendum per Hebraicum, ſed Hebraicum per Latinum; vid. Excellentiff. Dn. D. Kortholt in Tractatu de Variis Scripturæ editionibus p. 10. ſeqq. forſan approbabit reſponſionem Doctiffimi Viri Valeriani de Flavigny Doctoris Sorbonici & Hebrææ Lingv. Profeſſ. miraculo eruditionis Celeberrimo Domino Wagenſeilio Pariſiis datam: vocabulum *אֱלֹהִים* in Conciliô Trid. Vulgatæ conſeſſum non eſſe accipiendum in reſpectu ad fontes ſed ad reliqvas verſiones. Vid. Tela ignea Satanæ in Refut. Carm. Lippmann. p. 523. Cur verò DEUS non teneatur gratiam prædeterminantem omnibus dare & præprimis homini primo p. 294. ſeqq. prolixiffimus eſt. Joſua ante mortem fruſtrâ congregaſſet populum Judaicum: dicere potuiſſent, quid ſciſcitaris à nobis an DEO velimus obedire? quantum ille decreverit, tantum fiet. Quando Chriſtus Phariſæos objurgavit & ipſos hypocritas appellavit, regerere potuiſſent: quid objurgas nos? nonne hæc omnia prædefinita & decreta, & nos non abſimiles instrumentis mortuis &c. Imò ſic tota Scriptura invertetur: & fures regerere poterunt Miniſtro vitium exprobranti ex numero Prædeterminantium, quod furcæ candidatus hero ſuo Xenoni replicavit. Dixerat herus: improbe ſerve, quis Te ad hoc malum impulit? Reſpondebat; ſtulte Philoſophe, quis me hoc fatum docuit. *evol.* Dannh. l. c. p. 879. Rectiffimè igitur

tur

tur Svarez. T. I. Oper. Metaphys. D. 19. Sect. 2. *non solum experimur mutata cognitione vel apprehensione objecti, sed etiam stante eadem situm esse in nostrâ voluntate sedere aut stare, huc vel illuc incedere.* Et frustra Revius p. 272. multa dicit Svarez, & nihil probat, nisi per vocem EXPERIMUR, id verò est emendicare conclusionem, non demonstrare; conf. & Dominus Faustius Disp. cit. p. 34. Fustibus Revio veritas assertionis Svarezianæ demonstranda fuisset.

§. XVIII. Necessitatem, & quotuplex sit, itidem in superiori disputatione excussimus §. VIII. Cap. I. Addimus hîc quod communissimè aliàs dicatur DETERMINATIO; legatur Augustin. Erath p. 450. seqq. Videtur eque primâ fronte hoc vocabulum ab adversariis, (qui omninò non unius ejusdemque opinionis; alii enim gratiæ in se spectatæ (hæc intelligenda de supernaturalibus) in sensu divisò efficaciam adscribunt, alii tantum in sensu compositò propter gratiam congrue collatam) adhibitum denotare directionem & mollissimam suavissimamque motionem; ast quia illam irrefragabilem & irresistibilem non tantum quoad actum secundum sed & primum, (legatur omninò Hulsemannus de A. G. p. 297. seqq.) quoad rem statuunt, rectius foetum huncce spurium, Jovis filiam, monstrum illud, cujus barbam vellicare & membra acu stylòque compungere adeò grave ferunt adversarii, nomine distinctiori & clariori insignivimus. Si tamen cum adversariis loquendum, & vocabula in genere Infallibilitatis (vid. Caram. in Theolog. Fundamenti T. I. n. 23. 27. & Archangelum Rubeum Canon. Regul. Lateran. in l. dist. 45) in specie verò Prædefinitionis, respectu decretorum, & Prædeterminationis seu Operationis efficacissimæ, respectu actualis excitationis & concursus (definitionem prædeterminationis NB. *physicæ*: quod sit forma impressa voluntati humanæ à DEO immediatè, per quam efficienter & propriè determinatur ad unum tum specificationis tum exercitii; dedit Hulsem. de A. G. p. 303.) retinenda, monendum putamus illud cum Slevogtò, quod benè distingvendum inter determinationem *voluntatis* & *actuum* voluntatis p. 585. *illam* enim planè tollere libertatem in actu primò & ex libere agente facere agens necessarium: hanc verò libertatem in actu primò non tollere pag. 602. Neque est, quod adversarii hoc in commodum & confirmationem hypotheseos suæ pertrahant: *Benè! hoc est quod volumus, manet igitur vo-*

luntas libera, licet DEUS per decreta absolutè prædefiniat, & per concursum actus nostros necessariò determinet. Resp. enim: Malè! hoc est quod nolumus. Loquimur enim in disputatione de modò ordinariò. Extraordinariè enim voluntatem nostram posse determinari, non quidem quoad actum primum (quasi sc. ex liberè agente possit fieri necessariò agens quod esset contradictio) sed quoad actum secundum, idq; vel positivè vel privativè; *positivè*, potest enim DEUS per suam potentiam absolutam ita determinare hominis voluntatem ad aliquem actum, ut in ipsius potestate amplius non sit vel non agere vel agere contrarium, etiam in statu, ubi objectum ab intellectu cum indifferentiâ proponitur, contra Contenson: p. 817. *privativè* autem, potest enim DEUS sufflaminare voluntatis libertatem per solam subtractionem concursus v. gr. si voluntas erroneò intellectus judicio præventa ad actum peccandi inclinet, certè potest DEUS nolle ex absolutâ voluntate ad ejusmodi actum concurrere, sunt verba Slevogti p. 585. seqq. lubentissimè fatemur cum eodem; confer. & Dannh. in Hodom. p. 839. seqq. p. 855. 856. Perinde uti DEUS scientiâ mediâ prævidens Petrum abnegaturum Christum, si in talibus constitutus circumstantiis, potuisset non decernere in actu præfinitionis permissionem ejus, vid. Ludovic. à Dola Disp. Quadrip. P. I. Cap. 4. p. 43. videatur adhuc idem l. c. p. 81. qui plures modos recenset, quomodo vel ex parte objecti, ut cõtingit in visione DEI beatificâ, vel ex ignorantia & inconsideratione invincibili, vel ex parte dispositionum corporis & phantasiæ, usus libertatis sufflaminetur, quamvis in posterioribus illud deficere videatur, quod non omnia ad agendum necessaria ritè sese habeant, quod & ipse sui oblitus agnoscere videtur ib. n. 3. ubi dicit: *si non omnia ad agendum requisita adsunt, non erit suspensio actus, sed potius impotentia &c.* lege ib. plura p. 82. Sed à modò *extraordinariò* velle colligere ad modum *ordinarium* est nugari. Cur non ita quoque: Apostolus Paulus sic vel taliter conversus: E. hic est conversionis modus communis; vel: Simson maxillâ asini prostravit aliquot millia Philistæorum: E. idem & efficient milites Confederatorum in profligatione Gallorum: Asinus Bileami locutus est: E. & omnes reliqui in omnibus molis totius Orbis: vel si mavis: Ignis in fornace Babylonicâ Viros illos DEO consecratos non devoravit: E. quoque nullum prædeterminantem devorabit & consumet. Apage cum his consequentiis, aut
expe-

experiantur prædefinientes & prædeterminantes fortunam. De cœterò Adversarii talem determinationem esse dicunt, ubi DEUS quidem determinat hominem, ast tamen voluntas & semet determinet: (Hinc Thomistæ duplicem statuunt determinationem; unam *causalem*, alteram *formalem*. Prima est à solò DEO applicante voluntatem ad operandum, respectu cuius nostra voluntas sese merè passivè habet, & NB. hanc determinationem fieri dicunt vel per productionem Entitatis aliqujus physicæ in voluntate, vel per decretum adeò forte, ut impossibile sit è voluntate nostrâ non emanare actionem productivam effectus. Augustin. Erath l. c. p. 566. E. non possum videre, quomodo connotatum prædeterminationis hujus physicæ producativè & quidem liberè à nostrâ voluntate; jam si non producit liberè, voluntas consentiens prædeterminationi physicæ non erit liber etiam in sensu diviso ad dissensum. Nam ille qui cogitur ad sedendum, ibi dum sedet, non dicitur liber ad standum in sensu diviso, ratio est, quia sessionem liberè non produxit;) Neque hæc duo esse contraria, quia subalternata non pugnant. Sic navem & movere se delatam à flumine, & tamen impelli quoque à remigibus: Chamier libr. 2. de Lib. Arbitr. Cap. 6. n. 18. Resp. (α) Determinatio ex hypothese adversariorum est, ubi DEUS ita se exterius accommodat temperamento hominis, intus verò physicè voluntatem ita movet, ut non possit non rem amplecti &c. & licet DEUS non determinet ut causa necessaria, determinat tamen ita, ut homo non possit evitare, ut Bellarminus ipse se extricare nesciat; legatur Hulfemann. de A. G. p. 166. Quomodo igitur stante hac determinatione voluntas se liberè poterit determinare? E. non sunt subalterna, sed semet invicem evertentia. (β) Videmus igitur quâ ratione actiones liberæ hominibus adscribendæ, scilicet, quemadmodum navis agit. Ast navis non est corpus naturale, quod principium motus (de quò nuper mihi amicissimus Clarissimus Dn. M. Ringmacherus, cujus intimam animi conjunctionem & pietas singularis, quæ utramque paginam aliàs facit, & eruditio exacta, & sincerissimus candor, licet quoad corpora mox separandi simus, perpetuam mihi exoptare jubet, in aliquâ peculiari disputatione, quam suò tempore promissæ residuæ excipient) in se haberet, sed artificiale, & semet non determinat, sed determinatur vel ab aquâ vel à remigibus. Ergonè comparatio cum actionibus homi-

num liberis? Melius igitur facerent, si cum Contensonio libertatem vincam ut miraculum assumerent, dicerentque, prædeterminationis concordiam cum libertate creati arbitrii esse rem admirandam & ineffabilem ideoque fide tenendam, & intellectum captivandum sub obsequium fidei; legatur Ludovicus à Dolâ p. 162. E. sic Prædeterminantes nobis fidei articulos multiplicabunt instar vermium in caseis: E. in posterum & articulus fidei erit: Prædeterminans rationalis irrationalis. *Instant*: Homo tamen voluntariè agit: E. se determinabit liberè. Respondet Slevogt: & beati voluntariè ex visione DEI diligenter ipsum; & DEUS etiam voluntariè se amat: Ergone ad amorem sese determinant liberè ib. p. 589. *Instant ulterius*: Homo se determinat secundum naturæ proprietatem. Resp. Atqui proprietas est ita se determinare, ut etiam se possit non determinare vel determinare ad aliud, quod cum determinatione extrinsecâ (intelligo prædefinitionē) & intrinsecâ ex sententiâ adversariorum stare non potest. Prius verò probatum dedere & Ethici & Physici de libertate agentes, qui consulantur. Aliàs Contens. l. c. p. 817. movit quæstionem: *utrum voluntas possit à Deo violentiam pati?* & respondet: *DEUM posse considerari vel ut auctorem generalem, vel ut specialem; priori modo DEUM nequaquam violentiâ inferre voluntati: nam licet efficiat, ut voluntas contra inclinationem, quæ antea adfuerat, agat, suppeditare tamen novam aliam, priori ablatâ, & ita, si homo juxta illam agat, non violenter agat.* Ast urgeo: Aut illa inclinatio nova est indifferens, aut non &c. Tandem addimus hoc: ipsis Thomistis nondum constare, quid per prædeterminationē, gratiam efficacem &c. intelligant; Erath dicit, prædeterminationem physicam esse Entitatem decreti divini cum connotatione consensus, idq; passim. Contenson p. 749. præstantem in paucis Thomistam Gonzalem excogitasse distinctionem utilissimam, in gravissimis difficultatibus asseruit; aliam enim gratiam efficacem esse in se spectatam, aliam cum divinâ voluntate conjunctam &c. E. nemo miretur, si non distinctim ubivis processerimus. Si adessent distincti adversarii, invenirentur distincti Opponentes. Jam ipse Contenson Thomista rejicit hanc distinctionem Gonzalis dicendo illam inclinare in sententiam Ludovici Molinæ p. 750. Si enim gratia, in se quidem efficax, sortiatur tamen tantum effectum secundum malitiæ gradum, ita ut gratia, quæ quatuor iniquitatis gradus exsuperat, à

malitia

malitia quinque graduum exsuperetur, quid favorabilius desiderare poterunt Molinistæ etiam mitiores? Et hic Contenson defendit omnipotentem gratiam [reliquos titulos lege apud Hülsem. de A. G. p. 38. seqq.] cum Prospero cap. XV. de Ingrat. dicente: *Omnipotenti gratiæ tempus agendi semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi sit mora.* & cap. II. p. 752. col. I. asserit, *gratiam hanc efficacem esse mysterium, & nisi multiplex gratiæ divisio præmittatur, margaritam infucatam non inventum iri.* Nos hanc margaritam Calvinianorum & Thomistarum non curamus; decipere nos possent non aliter ac Judæi fures illi publici. Quod verò affirmativa sit adversariorum & negativa nostra, notissimum est; conferatur vel unicus B. Dannh. in Hodom. Calvin. & Pæpæ, in illa quidem p. 869. præprimis p. 874. citat verba Piscatoris P. I. Respons. ad dupl. Vorstii p. 168. *Quæ sunt ex decreto absoluto irresistibili, ea sunt necessario.* Atqui omnia sunt ex decreto absoluto & c. Ergo. Assumptum probat: *Si omnia sunt ex decreto DEI, sunt ex decreto irresistibili.* Ratio: *quia omne decretum est irresistibile.* Et quoad concursum, citat verba Gomari p. 882. 883. Petrus Molinæus in חוץ סדני: *הסדניו* DEUS libertate voluntatis utitur ad ea peragenda, quæ arcano suo consilio præsinivit, quamvis p. 219. addat: *hoc decretum sic limites figit voluntati, sic eam flectit, ut ejus naturam non mutet;* p. 220. attribuit quidem homini libertatem à necessitate, ast subdolè respiciendo necessitatem naturalem, sic verò ferrum respectu loci, 2. Reg. 6. v. 5. & ignis respectu fornacis Babylonicæ libera dicentur: hinc num. 19. expressissimè dicit, *libertati voluntatis non adversari necessitatem.* Itid. p. 990. in Thes. Theolog. de Lib. Arb. thes. 17. *Quorsum metuimus, ne periclitetur voluntatis libertas, si gratiæ cælesti tribuamus eam efficaciam in animas nostras, ut summum Bonum ipsis cælitus oblatum respicere nec velint, nec velle possint,* & in Disp. de Sanctificationis efficaciâ §. 2. p. 992. *gratiam efficacem irresistibiliter non agere est sententia nova, impropria, ambigua, falsi manifesta.* Petrus de Witte in Explicat. Catechismi Heidelbergens. p. 291. in quæstione 19. *Kan der Krafft der Vorsehung Gottes auch wohl widerstanden werden? Resp. Nein: Denn der Catechismus beschreibet sie von einer Eigenschaft / und nennet sie eine mächtige Krafft Gottes / damit er auswürcet was er vornimmt und will / 1. Chr. 19. v. 11. Hiob. 42. v. 2. Esa. 24. v. 27. legatur idem ille p. 311. Nimm*

Gottes Vorsehung nicht weg die Freyheit von des Menschen Willen? & repende, quomodo simile aliquod p. 310. in quæst. 73. absurdè citetur. Petrus Jurius SS. Theol. D. & Prof. Roterodamensis in Consult. de Pace inter Protest. ineundâ p. 19. seqq. & p. 115. seqq. idè approbat; p. 116. quod notetur, dicit, *Thomistas saniores, sc. inter Pontificios, esse Calvinianorum adstipulatores, qui huc usque Satanae conatus fecissent irritos, & obstaculo fuissent, ne gratia per se efficax anathemate feriretur aperte in Ecclesiâ Romanâ.* Eat nunc Augustinus Erath, & conetur passim in suâ untone differentiam inter Calvinianorum & Thomistarum opinionem de gratia subjectiva, h. e. internâ, invenire. Adjungatur Clar. Heideggerus de Concordia inter Protestantes ineunda p. 109. & legatur Antapologia Collegii Theol. Witteberg. p. 289. seqq. Si ex Academiâ Viadrinâ quem legere gestires, posset evolvi Disputatio D. Simonis de Decretis divinis in genere Sect. 2. Subsect. 2. reali n. 8. ad marginem: ubi juxta communem sententiam inter necessitatem coactionis & immutabilitatis distingvit &c. Thomista strenuus Contensonius in Theol. M. & C. P. I. l. 4. dist. 6. cap. 2. specul. 3. p. 303. rejicit quidem fatum sideratum, ast fatum voluntatis divinæ, cui omnia subduntur, quasi ab eò præordinata & NB. *preloquuta*, admittit; Sic enim à fatò fieri, quæ ab aliquo NB. determinante sunt ante NB. *prelocuta*. [O sancte Prisciane, heu quanta pateris dubio procul propter prædeterminationem! Ast ne grave feras; Contensonius ad deponentia passivanda necessitatus fuit.] B. Dorschæus in Anti-Cornæo seu Vindiciis Interventionis pro Mysteriò SS. Trinitatis cap. 36. pag. 509. seqq. probat multis exemplis propter assertam prædeterminationem, Thomistas & alios Pontificios, DEUM colere, qui non sit SS. Trinitas: De cæterò in Compendiò quasi elegantissimò, auctores utriusque sententiæ, si Errores tum Pontific. tum Calvin. Magnifici Summeq; Reverendi nostri PRÆSIDIS, Præceptoris ac Patroni nostri humillimâ animi observantiâ colendi, de hac materiâ evolves, habebis; & quod Pontificios in specie concernit, solidè, uti aliàs semper, nos in ipsorum Disquisitionibus informavit in Collegiò MS. Scholasticò Disp. de Volunt. & Decret. Divin. Quæst. 195. seqq. Excellentissimus Dn. Lic. Cyprianus, quem DEUS Academiae Lipsiensis hospitem servet! Et tantum de *Præcognitione terminorum*, quantum ad thematis tractationem feliciorè necessarium videbatur. Nunc sequitur

CAP.

CAP. II.

In quò ita nobis procedendum, ut primò probemus, decreta DEI actiones hominum liberas non necessitare. Sit igitur Argumentum :

I. **D**ecretum & prædefinitivum, quod dicitur respectu finis, & executivum, quod respectu mediorum, est extrinsecum, non mutans naturalem operandi modum voluntatis circa objectum propositum cum indifferentiâ: Ergò neutrum necessitat. Dicis: hoc etiam adversarii tui admittunt: Resp. Fateor; sed distingv. inter necessitatem & determinationem Physicam & svavem, subtilem, lenem, mollem, moralem [sic enim loqvuntur] nihilominus tamen inevitabilem & immutabilem. In priori tantùm determinatione nobiscum convenire videntur, [quamvis non omnes] unde fortius stringo: Quicquid est extrinsecum, illud non potest formaliter liberum intrinsecè determinare svaviter, molliter, sed NB. *infallibiliter & irresistibiliter*. Atqui &c. E. *Instas*: Adversarii non sunt tam absurdi, ut nuda decreta extrinsecus spectata necessitantia dicant, sed quatenus conjuncta cum executione & actuali concursu; unde & non rarò Thomistæ distingvunt inter decreta concretivè & abstractivè sumpta. Resp. (a) Cur verò de decretis hoc nudè asserunt passim; provoco ad ipsorum scripta. Unde & Augustinus Erath l. c. p. 465. ipse fatetur, Thomistas non rarò vocibus audacioribus & ferè æquivocis uti, dum dicunt decretum DEI esse intrinsecè, essentialiter, entitativè & ex naturâ suâ efficax; Scilicet! quilibet verborum suorum optimus interpres. Et subtiliores quoque dicentes, decreta non esse entitativè, intrinsecè, & essentialiter efficacia in sensu diviso, nihil aliud volunt, quàm DEUM potuisse ab æternò aliud decretum formare si voluisset. Quæro saltim ex Thomistâ: an DEUS ab æternò præviderit: Si Petro hanc gratiam concederem, pœnitentiam esset acturus; & postea decreverit: Volo hanc gratiam conferre: an consecutio operationis Petri ita decreto (vel etiam collationi gratiæ) adscribenda intrinsecè & essentialiter, ut planè in ejus potestate non maneat in peccatis manere? Eruditissimè de his omnibus disserit Erath p. 470. seqq. & præprimis p. 479. dicit: *æquivocationem efficacia decretorum, ubi u-*

*mus efficaciam sumat pro virtute operandi, atq; pro effectu jam existente, alii pro efficaciâ actuali, multas lites sevisse. Aliàs quoad decreti executionem variæ sententiæ: Didacus Alvarez Thomista nulli secundus de A.G. disp. 47. n. 4. in auxiliô DEI distingvit duos effectus; primus est, quod prædeterminatio physica à DEO nobis concedatur, & hunc effectum non subiacere nostro arbitrio; alter verò, quando auxilium cum voluntate, quam movet, liberum consensum producit, & hunc effectum subesse nostro libero arbitrio. Sed quæreremus ulterius, an etiam collatâ gratiâ, quæcunque illa sit, ita arbitrio subsit, ut possit elidi & evitari? hoc sanè nunquam concedet Thomistæ Calvinus; quamvis Thomistæ NB. videantur aliter sentire: Sic enim Alvarez disp. 25. n. 14. Sicut ista propositio: album non potest esse nigrum in sensu composito, non significat, quod, quando albedo est in homine, non possit esse niger, ablatâ verò albedine possit esse niger: sed significat albedinem & nigredinem esse formas simul impossibiles in eodem subiecto: ita hæc: L. A. motum à DEO auxiliô efficace non potest dissentire in sensu composito: non significat, quod, quando motio efficax est in homine, non possit dissentire si velit, ablatâ verò motione efficaci, tunc possit dissentire; sed significat hæc duo esse impossibilia simul, quod sc. auxilium efficax sit in liberô arbitriô, & L. A. dissentiat, quamvis efficax auxilium simul compatiatur secum in eodem L. A. potentiâ ad dissentiendum si velit, quod ad libertatem sufficit. Sed iterum quæro ex Thomistâ, an non aliquando contingat, ut illa potentia proxima ad dissentiendum stante etiam decretô DEI (seu gratiâ efficaci) in actum prorumpat? hoc negabit. Quid verò potentia illa, si nunquam traducitur in actum? Et sanè stupiditatem ingenii non possum dissimulare; fateor me non posse capere distinctionem inter decreta DEI *abstractivè* seu *entitativè* & *concretivè* seu *connotativè* formatam. Sive enim decreta consideres respectu *finis*: volo salutem meretricis Mariæ Magdalenaë, seu respectu *mediorum*: volo ut ardentissimis calidissimisqve lachrymis scortationes & maledictas carnis libidines deploret; semper, semper aliquid connotat; & NB. de decretis his nobis sermo est; decreta verò entitativè seu abstractivè considerata sunt ipsa voluntas DEI seu essentia; (ni velis asserere decreta entitativè & abstractivè spectata esse non solû DEUM decernentem sed & ad objecta terminatum, quamvis absqve effectu; sed sic everteretur principium Thomisticum) Jam sit hic status disputationis:*

nis:

nis? DEUS ab æterno decrevit salutem meretricis. DEUS ab æterno decrevit & voluit, ut verâ fide peccatum deploraret; quæritur, an propter hæc decreta meretrix infallibiliter, s. ut rectius loquar, necessario sit carnis delicias detestatura? Nos negamus; DEUS enim decrevit sub conditione, & efficacia [quatenus idem ac effectus existens &c.] non est solitariè alligata entitati decreti divini, quod in se indifferens. Unde quis insigniter falleretur, si objiceret: Vos ipsimet statuitis decreta necessitare; nam aliquando decreta dicitis efficacia. Resp. illud decretum dicimus efficax, quod sequitur præcognitionem DEI: Si Mariæ Magdalænæ hõc tempore hanc gratiam elargirer, determinatè futurum est, ut convertatur: nam malitiosè gratiam non rejiciet: volo igitur illam non denegare. Ergò nos decreto concretivè sumpto efficaciam extrinsecam & accidentalem; illi verò intrinsecam concedunt & essentialem, uti ignis applicatus ligno necessario combustionem ejus infert. Quamvis hoc verissimum, DEUM procul dubio præscivisse, si Mariæ Magdalænæ aliam conversionis gratiam è thesauro bonitatis suæ decerneret, illam non conversum iri; decrevisse verò illam, quam præviderat efficacem; & ita decreto etiam suam efficaciam constare, licet non absolutam &c. & procul dubio pro Juda habuisset majorem gratiam respectu beneficii, licet non entitatis, quam prævidit fore efficacem, & tamen decrevit non decernere illam; nî velis asserere, metaphysicè non esse impossibile, DEUM pro quolibet homine non habere gratiam efficacem. Si Thomistæ statuerent propterea decreta DEI dici efficacia & determinantia, quia prævidit, hanc assignandam gratiam hominem non repudiaturum, sed lubenter admissurum NB. quamvis etiam posset non admittere, conciliationem Thomistarum cum Patribus Societatis approbaremus. Quomodo verò nos à sententia Patrum Societatis de gratia congrua abeamus, dicitur alibi. (B) in posterioribus probabitur, nec hæc decreta executioni ita dari posse, ut concursus necessitet. Unde si executio decretorum, i.e. concursus non necessitat, sequitur, quod neque decreta formata. *Instas*: Voluntas decernit promotionem corporis & ambulationem de locò in locò, & potentia locomotiva exequitur statim decretum: cur igitur decretum DEI non deberet actiones nostras reddere immutabiles & necessarias? Resp. instantia est à dispari, potentia locomotiva voluntati humanæ subjecta non liberè agit; homo verò in actionibus moralibus liberè.

II. *Determinatio decretorum divinatorum tollit libertatem. Ergo est rejicienda.* Consequentiam admittitis ipsimet. vid. Contens. p. 815. Probo prius: Decretum efficax juxta vos est tale ex naturâ suâ, ut ei resisti non possit, h. e. cum illo non potest componi & conjungi resistentia seu dissensus creati arbitrii: jam si hoc decretum obtinet, & tamen homo dicitur liberè agere, liberum arbitrium erit purus titulus sine re, & rectè Petrus de Rivo Doctor Lovaniensis asseruit: *Quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc inimpedibile est & necessarium.* Licet à Sixto IV. Papa an. 1476. fuerit damnatus. Legatur August. Erath l. c. p. 269. & Cardin. de Lugo de Incarnat. D. 26. sect. 6. n. 72. Verè igitur Augustinus dixit: *ut homines fierent religiosi, sunt trunci.* vid. Dannh. Hodom. Calvin. Phantasm. 3. p. 864. ; & p. 878. τὸ ἀνθρώπινον humanæ voluntati per hanc assertionem aufertur: & fatetur Cardinalis de Lugo hanc rationem habere maximam vim, si res moraliter consideretur & sincerò animò: conf. August. Erath p. 257. *Dices:* Actiones dicuntur liberæ, quia dependent à decretò DEI prædefinitivò & executivò liberè formato, vel quia DEUS decrevit, ut nos liberè & convenienter naturæ agamus. Resp (α) Posterius implicat: decernit ut nos liberè agamus, & tamen determinat ad unum. (β) Perinde est ac si dicerem: Rusticus obnitens omnibus viribus, astrictus tamen, & superatus ab alio robustiori Corydone Prædeterminanti manu suâ violenter actâ alampam impegit. E. malitiosè liberèq; hoc fecit. Membris externis & sensibq; imperatur per decretum liberum voluntatis creatæ. E. & illa erunt libera. Baronius Calvinianus jure merito exhibet hanc interpretationem libertatis in Metaphys. p. 165. quia hoc nihil aliud sit quàm dicere DEUM dedisse voluntati potentiam liberè agendi, sed præripuisse illi omne exercitium illius potentia, quod nequaquam cum benignitate DEI consistere videtur; nam (α) libertas voluntatis describitur, quòd sit potentia valens se determinare vel ad hoc vel ad illud. Unde rejiciuntur argumenta apud Augustinum Erath p. 240. seqq. 259. *Quicquid potest voluntas creata, illud potiori jure potest causa prima, quippe quæ est in possessione suæ omnipotentia.* Atqui voluntas nostra juxta vos potest seipsam determinare ad actum liberum absq; offensâ libertatis. E. Et: [quamvis hoc argumentum rectiùs controversiæ de concursu reservandum fuisset] *Determinatio ad consensum proveniens ab ipsâ voluntate non ledit libertatem.*

liberta-

libertatem voluntatis plenam, ac perfectam ad dissensum: Ergò neg, causa prima NB. multò nobiliori modò physicè prædeterminans lædet libertatē. It. Voluntas DEI, non obstante decreto existente ab æterno ac immutabiliter determinante ad unū, perfectissimè manet libera, eò, quòd relinquat potentiam ad oppositum: E. etiam voluntas creata, stante prædeterminatione physicè immutabiliter determinante ad unum, est perfectè libera, eò, quòd relinquat potentiam ad oppositum. Resp. Perinde est ac si inferrem: Quicquid potest causa secunda, illud & prima. Atqui homo regenitus potest credere in meritum Christi. E. & Christus tanquam causa prima poterit credere in meritum Christi. (2.) si de mundo condendò DEUS propositum fecit firmum, nego, quòd in sensu composito liber sit ad creationem mundi; deinde adhuc manet disparitas, inter determinare semetipsum, & determinari ab alio extrinseco. Sc. (3.) rationem libertatis esse, ubi actus procedit à potentia indifferente, sive deinde ea potentia determinetur ab alià causà extrinsecà, sive à seipsa, dummodò non negetur indifferentia actūs primi, negatur. (4.) Desinat igitur à nobis petere disparitatem determinationis propriæ & divinæ Augustinus Erath l. c. p. 306. & alibi, ut: p. 328. Instant fortissimè cum Caramuele in Theol. fundam. Cap. I. n. 26. Vos dicitis causam secundam in concursu determinare primam (uti etiam nos suprà omninò fassī sumus.) Illa determinatio aut tollit libertatem causæ primæ, aut non. Prius affirmaretur absurdè: E. obtinebit posterius. Jam porrò: Si causa secunda potest determinare primam illas à libertate DEI, cur non causa prima posset determinare secundam illas à libertate hominis. Resp. est dispar ratio; quando nos causam primam determinamus, DEUS habet libertatem, an concursum suum nobis relinquare aut auferre velit; id quod non poterit dici de prædeterminatione physica &c. & planè per hoc non petimus id quod in principiò, uti nos arguit Erath p. 242. 250. 273. neq; argumenta, quæ Thomistis objicimus, ipsimet solvere tenemur, uti asserit p. 251. (β) Si E. nunquam se determinat, sed à Deo determinatur frustra erit hæc potentia, fatente Piscatore P. I. Resp. ad Vorst. & c. p. 203. conf. Dannh. Hod. Calv. p. 880. 881. Distinctio Revii in Svarez Repurg. inter sublationē indifferentiæ quoad facultatē & quoad usum, seu quoad actum 1. & 2. nihil facit ad rem; conf. Dn. Faustii disp. cit. p. 35. (γ) Si hæc ratio nimis urgetur: voluntas propterea dicitur libera, quia potest à DEO deter-

minari vel ad hanc vel ad illam partem; subsumi quoque poterit, appetitum bruti fore liberum, quia DEUS illum potest determinare vel ad hanc vel ad illam partem. Disparitatem latissimam, quam Augustinus Erath. p. 252. n. 593. quærit in iudiciò indifferente, radice libertatis, & in potentiâ habituali sufficiente ad non agendum, etiam dum voluntas prædeterminata agit, quæ reperiantur in homine, non verò in brutis, ita diluimus: (a) augetur dubium & difficultas, si homo habet iudicium indifferens, & tamen ad unum necessariò determinatur. (b) iudicium indifferens non est ratio formalis libertatis; quod verò potentia habitualis ad non agendum vel agendū contrariū non sit in brutis, probetur. (c) Si ad voluntatis libertatem sufficit, si eam iudicii indifferencia objectiva præcedat, sequetur, quod & ille liber qui vinculis constrictus, quod tamen admittere ipse Erath abnuvit. Conatur equidem pro more p. 322. *dare discrepantiam, quod in vinculo sit impedimentum, crassum, quod non reperiatur in voluntate hominis prædeterminatione accedente; quâ stante remaneat semper potentia proxima ad oppositum: Sed Resp. E. prædeterminatio erit impedimentum sive ac subtile: quid quod in constrictio vinculis remaneat potentia proxima ad oppositum: removeas modò hoc impedimentum, & videbis statim deductionem potentia in actum. Forfan inter hæc duo tale discrimen invenietur, ut: si Monialis ab effrenatò Gallorum milite blandissimis & cor expugnantibus verbis decipiatur, ab aliò verò vi stupretur; at hoc dici non potest: priori enim monialis resistere potuisset; at implicat, ut prædeterminationi præprimis physicae resistamus. Instas: Voluntas dicitur libera, quia postquam à DEO determinata potest se determinare ad certam partem, & quidem ad illam, ad quam à DEO determinata. Sed rectè regerit Baronius: idem etiam dicitur de appetitu bruti &c. ib. p. 166. Scilicet *breviter*: Requiritur libertas intrinseca ratione indifferentiæ intrinseca, quâ voluntas *se liberè* determinat, movet, & applicat ad actiones liberè eliciendas circa objecta sibi cum indifferentiâ proposita. Nempe quando victrix delectatio adest, voluntas semetipsam determinat; & probavit Slevogt p. 599. rationem effectus consistere in habitudine ad causam proximam, & propterea denominationem ejus desumi à modò agendi suæ causæ: vid. etiam Cursum Philosoph: Arriagæ disp. VIII. de Animâ, subject: 2. p. 548. ubi disquiritur: *an possit esse aliqua po-*
ten-*

item

2. 40

*tentia volitiva naturaliter incapax operandi liberè, quæ tamen divinitus possit liberè operari: & an è contrariò potentia, quæ est libera naturaliter, possit divinitus necessitari ad operandum? ex cujus discursu forsan contra nos inferes: Si DEUS ex voluntate necessitatâ ad carentiam actuum supernaturalium potest per elevationem facere liberè operantem, sequitur quod & decretum DEI prædefinitivum liberum possit hominem liberè agentem reddere: Respondebimus verò, si dubium hoc urgebitur. In fine hujus argumenti dissimulare non possum, Rhetorfortem in Disquisit. Metaphys. p. 583. molliter locutum de decretis: *Decretum conspirat in id quod creata voluntas de factò amplexabitur, NB. idq; motu suo internò; imò confert decretum concursum, qui connaturaliter & suavissimè voluntati liberæ creature obstetricatur, quæ quasi gravida est & nata apta parere non geminos sc. nolle & velle copulativè, sed vel nolle tantū vel velle determinatè: Et ib. movet quæstionem: An decretum DEI conspiret in eundem numerò actum, quem voluntas ipsa eliceret, si poneremus per impossibile, nullum esse in DEO decretum? & Respondet affirm. quia necessitas decreti & necessitas actualis exercitii libertatis easdem remonent libertatis indifferentias & decretum planè non torquet invitum. Ast quod Propheta de populo Judaicò conqvestus, labia ipsius appropinquare DEO, nullatenus verò corda; idem & de Rhetorforte dicendum.**

III. *Decreta DEI sequuntur determinationem voluntatis humane: E. non possunt determinare.* Consequentia est optima: Averroes secutus est post longa tempora Aristotelem: E. ejus Præceptor non fuit ut Plato. Antecedens patet. Ordo enim est hic: DEUS per infinitam suam scientiam præscit ad quodnam Invictissimus Leopoldus se determinaturus, si Cæsar fieret, & juratissimus Christianitatis hostis Turcarum Imperator cum fœdifragò Gallò ipsum aggressuri essent, quod scilicet fortiter sit ipsis restiturus. Decrevit igitur (prædefinitione efficaci, quæ tamen libertatem non tollit, quippe præsupponit scientiam median; Arriaga in Cursu Philosoph. p. 552. seqq.) ab æternò DEUS Leopoldum facere Imperatorem: qui etiam vi decreti illius, ab æternò facti, in tempore Cæsar salutatur omnium applausu, hostesque heroico planè Spiritu debellat, & quod speramus & à benignò Numine precamur, debellabit. Quis inferre vellet? E. decretum divinum determinavit Leopoldum ad resistendum fœdifragis. Perinde ac si concluderem: Domini-

canus vel Calvinianus parens videt fratrem Alexium vel filium delectari studio philosophico; unde decernit non tantum ipsum non impedire, sed potius quavis ratione ejus studia promovere: E. decretum superioris determinavit fratris aut filii voluntatem ad studium philosophicum. Nugæ! *Instabis*: Probetur prius. Resp. Hoc probat ipse vester Baronius in Metaphys. & quidem præeunte Fonseca l. 6. Metaphys. Cap. 5. quæst. 5. sect. 7. Si DEUS ab æternò voluisset voluntates hominum elicere debere has actiones potius quam illas; si, inquam, voluisset, antequam prævidit in quam partem ipsæ voluntates inclinaturæ essent, præripuisset voluntati humanæ usum liberi arbitrii sui. Ast posterius est absurdum: E. & prius. Locò probationis adducit exemplum è Theologiâ; ad quod vel maximè attendendum; Si DEUS ab æternò decrevit, ut genus humanum laberetur, antequam prævidit, ex propriâ malitia Adamum legem datam transgressurum, quomodo in libertate hominis stetit, iram DEI evitare: Aut si putas injuriam tibi fieri hęc exemplo, substituatur aliud: Si DEUS ab æternò voluit ut Celsissimæ Commissionis Legati Rhetorfortem carceri includerent Abredoniæ, antequam prævidit, quod Rhetorfortis obstinatissimè perseveraturus in oppugnatione rerum adiaphorarum, & Rex ejusque Legati ad carceres inclinaturi; sequitur, quod neq; liberè Rhetorfortis res indifferentes oppugnarit, neqve Rex & Legati pro libertate ipsum in carceres conjece- rint. Voluntas enim decretiva juxta vos est efficax. Quid responsuri sitis, facilè prævidere possumus, sed petitis hęc ipsò principium: & NB. principium absurdissimum, quod agnoscit Baronius vester in Metaphys. qui ita: Erunt forte quidam qui non admittent, DEUM ideò decrevisse concurrere ad has vel illas actiones, quia prævidit nos ita acturos, sed potius dicent, decretum esse causam, cur hęc vel illò modò agamus: Sed viderint ipsi quid responsuri ad argumenta; viderint item an decorum sit asserere, nos omnes ideò male agere, quia DEUS ita decrevit. Quid enim est referre omnia nostra peccata in DEUM ut in causam, si hoc non est? nec NB. *sufficit*, decretum esse causam actionis, non verò anomie; nam anomia necessariò comitatur talem actionem, quatenus est actio talis speciei. Probo prius ulterius: Si ante omnem præscientiam DEUS efficax fecit decretum determinandi ad hoc & non ad aliud, sequitur quod hoc decretum in tempore etiam exequatur; at posterius est falsum: E. & prius. *Respondebis*: Posterius mihi non absurdum: *Regero*:
Mihi

Mihi verò vel maximè absurdum, quod probabimus infrà in materiâ de Concurſu & Cooperatione. Conſequentiam admittetis vosmetipſi; nam aliàs decreto ſua certitudo non conſtaret. Ulterius: Si decreta determinantia, ſequitur quod non permiſſiva &c. legatur Baronius loc. cit. pag. 379.

IV. *Si omnes noſtras actiones DEUS* (propter naturam cauſæ univerſalis, legatur omninò Alvarez. Diſp. 24. n. 15. ubi Zumelem irridet, qui *malas* actiones non vult excipere; add. & Hülſem. de A. G. p. 308.) *abſolutâ & efficaci vult voluntate, Deus prædeſtinavit non tantum ad mala, ſed & auctor erit peccati,* & juxta Petr. de Comitibus diſp. VI. in Tr. de divin. Volunt. Art. 3. p. 641. *pejor diabolò;* Confer & Contenſon. l. c. p. 714. col. I. quam blaſphemiam ipſi hæretici non concipere, nedum proferre auſi ſunt. (Ubi non poſſumus non quin obiter caſtigemus impudentiſſimum ſanè in hõc, quamvis aliàs modeſtiſſimum, Contenſonium, qui dum de hõc argumentò diſſerit, ita de Lutherò noſtro loquitur: *Veteribus hæreticis impietatis palmam præripit poſt hominum memoriam impudentiſſimus Lutherus, qui ſcribere non erubuit, non ſolum non obeſſe mala Opera, ſed obeſſe etiam bona, ſola ſcelera prodeſſe,* quod aliquot locis probat p. 715. Pergit: *O ſtuporem non tam hominis quam belluæ! Non tam belluæ brutalitatem, quam demonis ex adipe prodeuntem iniquitatem! Sed quis non lugeat tam infernalem Prophetam tot habere ſectatores & gregales? Nonne de illò juſtius quam de Epicurò illud Lactantii l. 3. Cap. 17. uſurpare licet: Archipirata quisquam vel latronum ductor, ſi ſuos ad graſſandum cohortaretur, quò aliò ſermone uti poſſet, quam ut eadem diceret quæ dixit Lutherus? At mirum id nemini videri debet, ſi vitæ deſertoris & apoſtate adeò nefanda reſpondeat doctrina, nam juxta proverbium: *habent ſimilem labra lactucam, & dignum eſt patella operculum.* Reſpon- demus enim: hæc eſt veſtra malitia & ferocia non tam hominum quam belluarum, quod dicta Lutheri detorqueatis, & quæ protulit certò reſpectu, protrudatis ut abſoluta. Sic quando hypotheticè locutus: *Quod ſi anima mea odiſſet vocabulum ὁμοιοſις, an propterea ſtatim Arrianus eſſem: vos ipſum Arrianiſmi accuſaſtis, &c.* Si quis in circulo juſtificationis B. O. neceſſaria putat, omninò magis nocent illa: & mala, ſi agnoſcuntur cum contritione ſeriâ, magis proſunt. Qvalis hæc ratio belluæ? Vos potius eſtis belluæ, qui imprudenter, ſine ratione, belluarum*

more

more imperfectissimis Operibus, quæ mera maleficia apud perfectissimum & justissimum DEUM, confidatis.) Unde Becanus Tom. I. Opusc. Opusc. III. Cap. 16. vehementissimè irruit in Calvinum: *Epicurus fingit Deum nihil agentem, & nullis occupationibus implicatum: Calvinus verò injustè fingit negotiosum. Lucianus fabulator fingit Jovem suū impotentem, eò quòd Cupidinem superare non potuerit, sed ab eo victus sit: Calvinus verò non fabulosè sed reverà asserit, DEUM non posse naturam superare, ut idem corpus sit in diversis locis. Cerdon, Marcion & Manichæi quanquam dicerent, Deum esse auctorem peccati, non tamen bonum sed malum Deum intelligebant; at Calvinus, cum agnoscat unum tantum DEUM, mirum est, quod illum & bonum esse & peccati auctorem asserat: & Cap. XVII. seqq. probat Becanus præstare Atheum esse quàm Calvinum sequi: Si enim DEUS omninò non est, culpabilis non est. Si autem DEUS est & scelearum omnium auctor, & quorum auctor est simul etiam vindex, quomodo culpabilis & injustus non est?* evolvatur & Danhauer. in Hodom. Calvin. p. 928. 929. (Scio quidem Calvinianos protestari & omnibus viribus conari suum Calvinum emollire; unde in specie Johann. Crocius Marpurg. scripsit contra Affelmann. quem dicit Alastora, & Triadem ejus, quam dicit impuram.) Et Baronius in Metaphys. p. 168. fatetur, argumentum Bellarmini contra Thomam esse firmissimum, & si nullum aliud, certè hoc debere aliquos Calvinianos (addo & Pontificios, vid. sententiam Bannis apud Hülsemann. de A. G. p. 303. unde Svarez dixit in brevi resolutione Controv. de Auxil. Rat. V. sententiam Bannis & Alvarez esse ipsissimam Calvini hæresin) deterrere: Et NB. argumentum hoc: *Qui procurat & quidem efficaciter ut aliquis peccet, is ejus peccati verissimus auctor est. At DEUS ex adversariorum sententiâ &c. E. pro firmissimo habet Baronius l.c. p. 166. Si regerere adversarii volunt: DEUM determinare voluntatem hominis ad materiale peccati, non verò ad formale: Respondet Baronius: Hoc dubio non satisfacit. Anomia enim necessariò concomitatur talem actionem voluntatis. Si ergo DEUS ex absoluta voluntate vult istum actum elici circa hoc vel illud Objectum cum his aut illis circumstantiis, planè etiam moraliter efficiet malitiam huic actui necessariò conjunctam. Baron. p. 167. Nam argumentum est firmum: Juxta adversariorum sententiam DEUS est causa, cur actio sit talis speciei. At actio, quatenus est actio talis speciei, habet neces-*

necessariò concomitantem malitiam. E. ib. p. 168. Conf. & Ludovicum à Dolâ p. 216. qui non tantùm urget axioma: *Qui est causa cause, est etiam causa causati,* quod omninò procedit, si causa talis, ut ad illam effectus necessariò seqvatur: sed insuper addit: *Unus homo dicitur causa peccati alterius, quatenus impellit eum ad materiale peccati, non enim svadet illi formalitatem malitiæ, sed solum acceptionem rei alienæ, quam optaret fieri sine malitiâ; atq; quia malitia necessariò comitatur actum, ideo imputatur.* E. similiter DEUS, determinans ad malum materiale, dicitur etiam prædeterminare ad formale. Instas: Eadem difficultas & vos premet, dum statuitis, DEUM identifiçè, simultaneè & proximè concurrere ad materiale peccati secundùm totam positivam entitatem illius actus, neq; tantùm quoad rationem genericam, sed etiam quoad specificam & individuum, & tamen non velle concurrere ad malitiam: Si igitur concursus identifiçus DEUM absolvit à formali peccatorum, cur non etiam prædefinitio? Resp. est disparitas: Deus vult immediatè concurrere non determinatè, sed disjunctim & indeterminatè, per voluntatem indifferentem, vel ad pravum actum vel ad bonũ, dum igitur homo inclinat ad malum, DEUS non vult concursum denegare; at decretum prædeterminandi est absolutum, inconsultâ nostrâ voluntate, vid. Ludovic. à Dolâ p. 218. Hinc quando Contenson P. I. p. 715, dixit, hanc difficultatem esse communem etiam scientiæ, mediæ assertoribus, post multas probationes tandem fatetur, *difficultatem in sententia Thomistarum per prædeterminationem magis apparere, quia per præmotionem DEUS non solum est causa actus, sed etiam est causa, quod voluntas actum illum velit efficiatq; &c.* Urget Augustinus Erath. l. c. p. 341, distingvendum esse inter consecutionem *Logicam* seu illationis, & *Physicam* seu causalitatis; formale peccati seqvi prædeterminationem consecutione *Logicâ* & illationis: Nihil verò exinde absurdj. Resp. Perinde est ac si dicerem: impactio a lapæ seqvitur tantùm detorsionem manus, consecutione *Logicâ* non *Physicâ*. Tu ipse fateris hominem non posse influere in materiale peccati, quin etiam influat in formale, quia in ipsius potestate non est omisio influxu speciali habere solum generalem seu præcisivum. Dicis verò hoc omnipotenti DEO non esse impossibile. Nobis verò implicare videtur, quum materiale proximum à formali non benè distingvatur. Unde Pennotus l. 8. Propugnac. hum. libert. c. 25.

n. 9. *Impossibile est etiam per potentiam DEI absolutam, ut voluntas præ-*
determinata ad actum s. u. ad materiale peccati possit operari eundem actum
sine defectu. Et rectè Danhauerus hanc dist. in hâc materiâ dixit pal-
 lium nimis tenuè quàm ut tegere possit tam pudendum erroris foetum.
 Hod. Calv. p. 977. legatur & Faustus l. c. p. 31. & cur in Colloq. Mompelg.
 tam crassè locutus Beza? *Instant.* Anima movet tibiam claudicantem,
 & tamen claudicatio non adscribenda animæ moventi, sed tibiæ defici-
 enti. *Resp.* Ergone Deus tantùm decernit materialia actuum vitiosorum
 existente jam homine peccaminoso; ubi manebit assertio supralapsari-
 orum? De hoc illustranti suprâ mentionem fecimus. Ad rem: Si De-
 us prædeterminat ad materiale peccati, sequitur quod peccata injustè
 puniat. *Illustro:* Sic enim iudex esset iniquissimus nebulo si rem alienam
 immitteret peræ alterius, & postea illum, ut de furto convictum, puni-
 ret. Dicit quidem Erath esse disparitatem in eò, quod oblatio pecu-
 niæ non sit libera ei in cuius peram mittitur. *Resp.* nec ille liber est, qui
 prædeterminatur ad materiale peccati; nam si in potestate prædeter-
 minati esset declinare determinationem ad materiale, sequeretur, quod
 prædeterminatio fieri posset irrita, quod ipse non concedes; & ta-
 men expressè concedere detrectas (aliàs juxta propriam confessio-
 nem impiè desiperes) DEUM esse auctorem peccati; videas, an non
 retorqueri possint verba posita p. 346. in temetipsum: inconseque-
 ntiâ doctrinæ hæreticorum propria est. & quasi characteristica: ut taceam
 illum iudicem fore malitiosum, qui formosam virginem duceret in lu-
 panar, variis illecebris ad scortandum invitaret & postea puniret; jam
 colligas exinde (veniam mihi det lector, quod de ipso concursu differe-
 re cogar) annon majori probabilitate de prædeterminatione physicâ
 hæc absurda possint urgeri. Aliqui Thomistæ hæc omnia prævidentes
 juxta Alvarez. l. 3. de Auxil. disp. 24. n. 27. inficiati sunt DEUM præmo-
 vere ad actum peccati etiam ut actus est; quamvis interim in circulo
 gratiæ victricis gratiæ omnipotentissimam potestatem à prævisione
 scientiæ mediæ independentem constantissimè asseruerint. vid. Con-
 tention. l. c. p. 716. Emphatica verba p. 717. apposita non possumus hîc
 præterire. *De præmotione generali* (v. gr. in omnibus actibus naturæ)
non est principalis sed tantùm accessoria questio. Gratiâ per se & ab o-
mnipotentia DEI efficacem Prædicatorum Ordinis tutela (scil. in circulo gra-

gra-

gratiæ) conceditam propugnamus, hanc à Theologia Angelo, Præceptore nostrò D. Thoma ad nos transmissam pro virili defendimus, pro illâ coram Clemente & Paulo Catholicæ Ecclesiæ Præsulibus Thomas de Lemos, Didacus Alvarez, aliq̄ non mediocris eruditionis viri & pietatis laude conspicui, certârunt, hanc veluti cæleste sacrumq̄ depositum Scholæ nostræ commissum, ut in sacri Ordinis perpetuitate perpetuos habet prædicatores & interritos defensores, custodimus; hanc à DEO quotidianis precibus & votis enixè postulamus, quam spirârunt Patriarchæ, quam prædixerunt Prophætæ, quam è vulneribus suis effudit Christus, (en impudentiam hominis!) quam Paulus docuit, quam Augustinus illustravit, hanc, quâ solâ egemus, nobis concedat DEUS benedictus in secula. Pergit: Ad hanc gratiam omni genere argumentorum stabiliendam integram dissertationem, in duo Capita & in sex speculationes methodò nobis familiari dissectam, paraveramus, ubi ex decem locis theologicis latissimè patentibus rationes deprompseramus multitudine varias, doctrinæ Ecclesiasticæ ubertate refertas: sed quia melior est obedientia quàm victima, & de lignò vetitò edere piaculum est, eam idcirco sapprimendam censuimus, ne à debitâ Romanis Pontificibus hujus quæstionis tractationem vetantibus obedientiâ vel latum ungvem discedamus. Quòd verò attinet illud, dum DEUS ex omnium confessione ad materiale vitiorum concurrat, & tamen haudquaqvam reus peccatorum constituitur, exinde est, quia concursus præsupponit determinationem, aut decretum efficax infert determinationem voluntate inconsultâ. Excipitur tandem: Plurimi Prædeterminantium in actibus pravis prædeterminationem negant etiam quoad Entitatem & materiale illorum actuum: E. hoc argumentum est frustraneum. Prius vide probatum & assertum apud Ludovicum à Dolâ loc. c. p. 60. Resp. Atqui plurimi Prædeterminantium ad Entitatem actus in actibus pravis prædeterminationem admittunt: E. hoc argumentum non erit frustraneum. (β.) Perinde est ac si dicerem: Plurimi Pontificiorum, inter quos Sorbonenses negant Papam esse infallibilem in quæstionibus facti: Ergone propterea argumenta nostra & Sorbonens. Jesuitis Claremontanis eandem infallibilitatem asserentibus frustra opponuntur? Vel: Plurimi Calvinianorum DEUM maximam hominum partem, antequam crearentur & lapsus eorum prævideretur, æternis cruciatibus destinasse negant: Ergone frustra pugnabimus cum Francisco Goma-

ro, Voëtiô, Maccoviô, aliisq; Supralapsariis. (γ) Si prædefinitionem ad Entitatem actuum pravorum aliàs Prædefinientes dicti negant, quæso, quomodo scientiam infallibilem illorum actuum pravorum contingentium, juxta hypothesin semel assumptam, DEO vindicabant?

V. Mirum quantum placet argumentum Baronii l. c. pag. 394. *Quæc. sententia non evertit providentiam DEI, neq; aufert immutabilitatem decretorum divinatorum, imò non magis hæc tollit, quàm opposita sententia, illa ut magis pia præferenda est sententiæ adversariorum,* legatur B. Dannh. in Hodom. Calvin. p. 885. Probo: Adversariorum sententia multis præjudiciis gravatur & suspicionibus, idq; non immeritò, dum jugulum petit liberi arbitrii, peccandi necessitatem imponit, januam securitatis aperit, [quod exemplò Tiberii ex Svetonio cap. 69. probat Dannh. Hodom. Calvin. p. 878. & Triglandus citatus à Maldero in Anti-Synod. p. 292. dixit: *adeò firma & mutabilis est DEI sententia, quâ rejicit reprobos, ut impossibile sit eos salvari, NB. etiamsi omnia Sanctorum opera fecerint &c. & crapulæ indulgere permittit, & ad desperationem ducit,* legatur omninò Episcopus in Epist. ad Joh. Beverovicium Medicum T. III. Oper. p. 385. ad quem & Anna Schurmannia scripserat de termino vitæ & decretis DEI necessitantibus; sed longè melius fecisset, si domestica fila è cannabe vel linò acu, quàm ut altera Clotho, filia fati, fila fati ex diphterâ Jovis stylo nevisset: Neque est, quòd Calviniani excipiant; licet decreta necessitent hominem ad mala, homo tamen ipse materiam corruptam ex propria malitia accuset; multi licet fatum admiserint, sanctitati tamen vitæ studuerunt &c. retundit enim ipsos pro meritò Dannh. in Hodom. Calvin. qui legatur] & tollit demeritum &c. ast nostra sententia hæc omnia vindicat, ita ut adversarii nil aliud nobis opponere possint, quàm tolli sic providentiam DEI & decretorum certitudinem: ast hæc omnia salva manere in nostrâ sententia dicit Minor propositio, & inferius probatio constabit in Responsione ad objectiones. NB. Aliàs Petrus de Comitibus in Tract. de divina voluntate in specie disp. 6. Artic. 3. ponit talem conclusionem: *Decreta, quibus DEUS concurrat nobiscum ad actus liberos non sunt ex se intrinsicè efficacia & prædeterminativa voluntatis ad actus s. physicè s. moraliter; neq; sunt prædeterminativa ipsorum actuum, sed sunt ex se physicè indifferentia, & solum extrinsicè efficacia, quatenus NB. sunt ex præscientiâ futuri*

futuri consensus. Pergit p. 641. *se sufficientissimè priora membra probasse* l. de Generat. disp. 3. Art. 6. it. Tract. de Prædest. disp. 1. Art. 1. ad 2. & disp. 12. art. 2. per tot. & art. 3. ex ipsis officinis Prædeterminantium, & in Tract. de Scient. disp. 6. a. 8. & alibi sæpè; it. disp. 6. in Tract. de Scientia DEI a. 9. Nos his tractatibus destituimur, qui possidet legat.

VI. *Quicquid non efficit, ut nos ad aliquid peragendum determinemus, illud non efficit, ut necessariò nos determinemus. Atqui voluntas DEI decretiva, de quâ jam queritur &c. E.* Repete dicta in argumentò tertio, & res erit clara. Alia argumenta, quæ præprimis materiam Biblicam & dicta Scripturæ concernunt, evolvantur passim in Systematibus. Et hætenus de decretis sive prædeterminatione extrinsecâ, vel, si putares terminos commodiores esse, Præfinitione seu prædefinitione. Nunc etiam probandum erit, Prædeterminationem intrinsecam non posse admitti. Est verò illa juxta adversarios entitas creata, realis & physica, in voluntatè nostram immissa, per quam voluntatis nostræ indifferentia determinatur ad unam contradictionis partè, prius natura, quàm operetur actum suum, & ita potentia simultatis cesset, licet maneat similtas potentia. vid. Ludovic. à Dola l. c. p. 44. 46. Et queritur inter ipsos: *An illa entitas sit in predicamento Qualitatis, an verò actionis? & priorem respectum juxta plurimos obtinere asserit Ludovicus ib. & p. 45. dicit, arbitrari assertores ejusdem esse qualitatem fluxam & labilem ac transeuntem, realiter distinctam ab actu vitali, quem producit, quâ existente & receptâ in voluntate creata existimant, DEUM adhuc concurrere concursu identificatò, immediatò &c.* & NB. licet aliqui abhorreant à prædeterminatione physicâ, illamq; tantùm QVASI PHYSICAM appellent, in re tamen ipsa cum reliquis conveniunt. Utrumque verò & prævium & simultaneum ex adversariorum opinione prædeterminantem & necessitantem repudiamus.

I. Optimum argumentum de ratione libertatis, de sanctitate DEI, ut & alia, præoccupavimus quidem partim in Cap. I. dum terminos explicaremus, partim in Cap. II. dum libertatem præ decretis divinis præmuniimus: ex resolutione quoque argumentorum contrariorum thesis nostra fortius stabilietur; non gravabimur tamen idem argumentum de libertate & hîc repetere: *Concursus prævius & simultaneus [juxta adversariorum hypothèsin] tollunt libertatem; Ergò sunt rejiciendi.*

Hoc argumentum juxta Ripsoleum in librò, cui titulus: Status controversiæ: ita detorsit quosdam ex Prædeterminantibus, ut eorum ingenia convinceret. Quidam tamen conati sunt rimam elabendi quærere, & dixerunt, licet adsit prædeterminatio physica, manet tamen indifferentia objectiva seu judicii, ubi intellectus judicium proponit bonitatem objecti cum aliqua ratione boni, & cum aliqua etiam ratione mali, in quò sanè radicatur indifferentia voluntatis ad e. gr. amandum & non amandum. Et hæc est sententia Ripfolis, Cumel, Alvarez, & aliorum, qui Bannesium secuti i. p. qu. 19. contendentem, *ne DEUM quidem posse necessitare voluntatem stante judiciò rationis, quò ita proponatur objectum, ut voluntas NB. sibi relicta illud amare vel non amare; aut etiam odisse potuisset, nisi DEUS physicè jam ad unum prædeterminaret; si verò judicium perturbetur, aut unio hypostatica vel visio beatifica intercedat*, admittit Gabriel P. I. disp. 99. c. 3. *libertatem à voluntate creatâ auferri*, quod tamen certis sub limitationibus intelligendum. Sed rectè respondet Ludovicus à Dola l. c. p. 200. *Si judicium rationis stante licet prædeterminatione physicâ salvat libertatem voluntatis, cur ab Ecclesiâ Pontificia e. gr. Calviniani, aliàs hoc judicium admittentes, indifferentiam tamen voluntatis perfectam negantes, fuere rejecti?* (β) quæ hæc ratio formalis libertatis voluntatis, si per prædeterminationem physicam voluntas ad unum determinata? (γ) Si instas: Posset tamen arbitrium dissentire, nî intercederet prædeterminatio: Resp. Perinde ac si diceres: Posset tamen homo apertis oculis viam intuens ambulare, nisi pedes ipsi ligati & constricti. Quàm absurdum igitur est, potentiam ambulandi tribuere velle oculis; tam absonum quoque erit libertatis facultatem adscribere judicio intellectus. Deinde & elabi conantur distinctione inter sensum *compositum & divisum*, applicando, quod quidem voluntas non amplius sit libera positâ prædeterminatione physicâ in sensu composito: benè tamen in sensu diviso. Ast iterum optimè Ludovicus p. 201. seqq. regerit: *Atqui Calviniani præsuppositâ gratiâ efficaci concedunt voluntatem in sensu diviso manere liberam, & tamen Concilium Tridentinum hanc rationem libertatis non vult admittere.* (β) Sic non tantùm de cœcò potero dicere, quòd possit videre, de claudò, quòd possit rectius incedere, de adulterò detruncato, quòd possit vivus incedere, sed & omnes causæ necessariae erunt liberae. Oculus, quando videt,

det,

det, potest non videre in sensu diviso, si desint species aut attentio ani-
mi; intellectus propositioni propositæ non assentietur, si desit moti-
vum; voluntas beati poterit non diligere DEUM, si privetur visione
beatificâ &c. Ulterius *regerunt*: *Prædeterminatio hæc sequitur actum
divinæ voluntatis: E. necessitas non est antecedens, sed consequens, quæ
non tollit libertatem.* Resp. Petrus detorquet manum Pauli in genas
Prædeterminantis, & illam detorsionem antecessit actus voluntatis Pe-
tri, quòd voluerit detorquere, & ita detorsio est necessaria, necessitate
consequente [cur non consequentiæ?] Ergonè Paulus liberè Prædeter-
minanti alapam impegit. Scilicet necessitas illa consequentiæ judi-
canda est ex natura & dispositione causæ operantis. (β) rectè Ludovi-
vicus à Dola, quem hîc pressò pede secuti sumus, infert, ex hac senten-
tiâ sequi, DEUM nunquam posse necessitare voluntatem creatam, quia
necessitatio illa semper est consequens respectu causæ primæ liberrimè
operantis ad extra: imò nec amor beatificus esset necessarius, quia ne-
cessitas, ex quâ procedit, scilicet visio beatifica, est consequens respectu
divinæ bonitatis, quia liberrimè illam nobis concedet. *Instant ul-
terius*: [uti etiam in Cap. I. monuimus] *Non omnis necessitas antece-
dens tollit libertatem; vinculum enim juxta Ripsoleum, quò prima cau-
sa voluntates creatas ad opus determinat, leniens & alliciens est, proin-
deq; molle ac quasi suave ungens, non autem necessitans aut durissimè con-
stringens voluntatem: & sanè DEUS juxta omnipotentiam suam*
[etiam supra mentio hujus exceptionis facta] *licet prædetermi-
net physicè, potest tamen efficere, ut causa secunda liberrimè agat.*
Resp. (α.) Lepidè & rectè regessit aliquis: Acrimonia prædetermi-
nationis physicæ perdit suavitatem ungenti illius, quò Ripsoleus arbi-
tratur voluntatem hominis deliniri. (ε.) Si furem prædeterminatum
fune sericò h. e. molli patibulo carnifex appenderet, amitteret procul-
dubio vitam, uti alius fune lini crassissimo suspensus, vel catenâ ferrea,
uti Judæus in patibulò Lipsiensi. (γ.) Sic & DEUS juxta omnipoten-
tiam suam poterit efficere, ut Prædeterminans occisus eodem illò in-
stanti vivat, & ut Prædeterminans ratione præditus sit simul irrationa-
lis & rudat &c. ut Sol simul luceat & non luceat, ut dies hesternus sit
crastinus, & crastinus hodiernus. Ita nugari possemus, si sphæram o-
mnipotentia divinæ egredi vellemus. Et notent hoc, si qui sunt inter
Præ-

Præ-

Prædeterminantes Pontificios, pacis publicæ turbatores totò die crepantes, nos Augustanam Confessionem & illam quidem quæ Carolo V. in Comitibus Augustanis exhibita, reliquisse, aliaque dogmata in Ecclesiam nostram introduxisse: Sanè concilium Tridentinum exigit ad rationem libertatis, ut etiam præmotio ipsius DEI possit abjici, quod tamen illi negant: de quò mox plura.

II. Hoc argumentum fuit ex priori, & potest etiam decretis efficacibus opponi: *Quicquid tollit meritum & demeritum, illud non admittendum. Atque prædeterminatio seu determinatio necessaria tollit meritum & demeritum.* E. Major præprimis à Pontificiis Thomistis, qui aliàs Bonis operibus nituntur, ut senex scipione, admittetur. Aliquæ verò ad Minor. respondent negandò illam: quia Christus determinatus, & non liber à necessitate fuerit, & tamen aliquid meritus sit. Respondet Contenson (α) in genere fatendò, hoc argumentum esse unum ex difficillimis universæ Theologiæ nodis, quem promisit suò tempore DEO benè vertente, dissolvendum; addit (β) negandò subsumptum, quod Christus determinatus: Libertatem enim trifariam considerari posse & debere; primò in ordine ad actum, in quantum potest velle, & non velle; & hanc esse libertatem contradictionis; secundò in ordine ad objectum, in quantum potest velle hoc vel illud; & hanc esse libertatem contrarietatis; & tandè tertio in ordine ad finem, in quantum potest velle bonum & malum; & hanc esse libertatem imperfectionis, quia posse velle malum & facultas peccandi non sit libertas, sed libertinitas; non ornamentum, sed probrum voluntatis, non pars vel perfectio libertatis, sed vitium & miseria creaturæ [uti suprâ etiam ejus verba citavimus.] Primam & secundam libertatem omninò in Christo fuisse, potuit enim velle mortem & actum illius voluntatis suspendere, poterat velle mortem & velle vitam; sed in omnibus retentò ordine ad finem; tertiam autem libertatem, quæ aliàs etiam non de essentiâ libertatis (libertas enim est vis electiva mediorum servatò ordine finis, quando autem voluntas peccat non ordinem ad finem servat, sed à verò fine recedit, quem turpiter in mediis quærit: *an sit quid dicendum de libertate primi hominis in statu integro?*) in Christo obtinere non potuisse, fuit enim omnis labis expers. Resp. (γ) nostrum argumentum loquitur de statu naturæ lapsæ, in quò Christus non constituitur: E. hæc instan-
tia

ria hōc respectu vagatur extra oleas : quod & respondet Contenson respectu decreti 3. ab Innocentio X. contra theses Jansenisticas formati, ibid. pag. 816. col. 1.

III. *Affertio Dominicanorum de prædeterminatione physicâ est contra Concilium Tridentin. E. rejicienda erit* : Majorem æquè admittent adversarii ac nos propositionem sequentem : Quicquid est contra August. Confess. illud Lutheranis non defendendum. Prius probatur ex Sess. VI. Cap. V. ubi conceditur, quod tangente DEO cor hominis, homo illuminationem Spiritus Sancti possit abjicere ; & eadem sess. Can. 4. dicitur : Si quis dixerit hominem non posse dissentire vocationi & excitationi divinæ anathema sit. Communis Thomistarum responsio est : *Concilium rectè esse intelligendum, & damnare errorem Calvinum, hominem neque in sensu divisō gratiæ concessæ posse dissentire* : Si replicamus cum Lessiō ac Lugone, non esse præsumendum, quod Calvinus adeò truncus fuerit, qui alibi expressè asseruerit, deficiente efficaci motione DEI, voluntatem in suis sordibus obduratam fore ; respondet Augustinus Erath l. c. p. 326 num. 826. Calvinum docuisse, præsentem gratiâ efficaci prædeterminante hominem in sensu compositō ita necessitatum esse, ut etiam voluntas careat potentiâ expeditâ ad oppositum, quamdiu est sub jugō motionis divinæ, quamvis ablatâ gratiâ, eam potentiam quasi reviviscentem habeat ; & hoc damnasse Concilium Tridentinum, quod à mente Thomistarum alienissimum. Ast verba audio, prætereaque nihil. Quæso, potentia illa proxima ad oppositum stante prædeterminatione aut erit respectu actus primi aut secundi. Non secundi, aliàs prædeterminatio posset frustrari : E. primi ; at hoc etiam concessit Calvinus. Alii cum Bannez respondent, *Concilium definiisse, homines posse resistere gratiæ sufficienti, sed non efficaci & prædeterminationi physicæ* ; Ast respondemus, hominem posse gratiæ sufficienti resistere concessit Calvinus ; aut igitur Concilium pugnavit cum aurâ, aut decisio illa erit ridicula & absurda ; æquè ac si decideretur : Qui dixerit Innocentium XI. non esse Pontificem Romanum, anathema sit. Hoc ultrò omnes Lutherani fatemur, & forsitan reliqui, qui sensibus non laborant. Pag. 331. respondet Augustinus Erath : *verum est, quod Calvinus statuerit homines posse gratiæ sufficienti resistere, h. e. hominem gratiâ sufficienti instructum non tantum habere principium proximum actuale ad dissensum, sed etiam principium proximum habituale ; & in hoc Thomistas*

M

discre-

*discrepare à Calvinô, qui dicant, cum principiô proximô actuali ad dissensum, benè posse stare principium proximum habituale ad consensum. (Hæc non tam faciunt ad præsens negotium : quæstio est, an Concilium loquatur de existentia gratiæ efficacis aut sufficientis : Bannez respondet, de sufficiente. Atqui hoc etiam concessit Calvinus, imò, uti ipse fatearis, nimium quantum respectu principii habitualis : E. ad huc absurdè Patres in Conciliô processissent.) De cœterô, si illa sententia & explicatio à Thomistis assumitur, Concilium Tridentin. statuit, hominem gratiâ efficace instructum retinere principium proximum habituale, licet non habeat principium proximum actuale ad dissensum ; quæstio oritur, an Calvinus statuerit gratiam efficacem tollere quoque principium proximum habituale : Tu quidem asseris, ego verò non credo, quia non probasti, quod mihi jam sufficit. Cœterum respondeant Calviniani pro suo Magistrô, si Eum pro tali agnoscunt. Sanè David Pareus Professor Heidelbergens. illud non concessit. Cum enim 1608. mense Augustô in acidulis Svalbacensibus celebris & perspicuus Jesuita Becanus & Nicolaus Serarius eum amicè salutassent, ille verò humaniter Becano objecisset, quod in quâdam disputatione scripisset : *DEUM Calvinistarum esse auctorem peccati*, qui regerebat, *se solidè id probasse ex verbis & sententiis Calvinii*, illô replicante : *sit ita, quod Calvinii ; sanè non Calvinistarum erit sententia* : ac Serariô subjiciente & subridente : *Domine Paree : Hæc tibi facilè, ut video, inter vos componetur : Deleatur sola particula STARUM & res erit salva* : tandem Epistolam dedit Heidelbergâ ad Becanum qui tunc Moguntia degebat, in quâ ipsum & Serarium officii monebat hœc Carmine :*

Vos quoq; promissi memores delete liturâ

Ingenua STARUM impegistis quod malè nostris.

Conf. Epistolam Becani ad David : Pareum de Actis Colloquiorum Svalbacensium, & de fide hæreticis servanda ; invenietur verò illa Tom. V. Opusc. Opusc. IV. p. 1295.

IV. Quod concursum simultaneum concernit, ita inferimus. *Quicquid determinatum, non potest esse determinans. Atque concursus est determinatus* E. Prius probat Slevogt p. 660. legatur præprimis §. 60. & Baron. in Metaphys. p. 153. seqq. Scilicet causa secunda determinat primam quoad exercitium ut sc. coagat, & quoad specificationem, quando
hujus

hujus vel illius speciei effectus est producendus; at causa prima determinat secundam quoad individuum actionis & effectus (juxta Nominales & NB. communem sententiam) quæ determinatio tamen non concursus; vid. omninò Slevogt p. 361. n. 24. confer. & Svarez. *Disp. Metaphys. 5. Sect. 9. n. 7. seqq. it. Disp. 19. Sect. 1. n. 11. Disp. 22. Sect. 2. n. 31. & Sect. 4. n. 5.* Baron. *Metaphys. p. 155. seqq.* Neque tamen propter hanc determinationem individuationis (juxta auctores qui illam necessariam dicunt) tollitur libertas aut contradictionis aut contrarietatis, quod probavit Slevogt contra Gabrielem Vasquezium, qui asseruit: *posita hæc determinatione ad individuationem actus tolli libertatem hominum à §. 67. usq. ad finem disput. p. m. 663. seqq.* Baronius etiam in *Metaphysicis* asserit, *hominem ipsum se non posse determinare ad individuationem actionis*: addit rationem, *quia voluntas indifferens ad plures numero volitiones*; sed dubito ego, an hæc ratio firma: vid. interim nihilominus & Svarezium in *Metaphys. p. 552. ubi n. 13. provocat ad disp. 5. de principiò Individuationis &c.* Legatur & Excell. Faustius l. c. p. 44. fin. Alia argumenta quæ itidem ubivis obvia, uti de decretis, hic iterum lubentes præternavigamus.

CAP. III.

OBjic. I. *Nullus actus creatus, sicut est Ens ab aliò, ita à se non potest habere suum Esse: E. neq. suam futuritionem, quæ est modus essendi distinctus à rei possibilitate: Hanc vero futuritionem infallibilem nequit habere ab aliqua causâ creatâ, quia quælibet est impedibilis saltem à DEO, & ita etiam fallibilis: E. non potest dare infallibilem rei futuritionem. E. requiritur decretum efficax & prædeterminans: confer. Gibb. de Burgo T. I. Theol. Scholast. Disp. 26. & 27. Resp. concedo, homo se non posset determinare, nî haberet vires à DEO concessas; has verò vires DEUS non vult impedire; agit enim ordinatè. E. omnia extra rhombum.*

II. *Si decreta non necessitant, sequitur quod certitudo & infallibilitas ipsis & DEO non possit constare, quia effectus est à bilancis voluntatis nutu. Atqui posterius est absurdum: E. & prius, Hinc Dn. D. Braunius in Doctrinâ Fæderum p. 185. DEUS res novit ideò, quia eas vult. Resp. (α) posterioris absurditatem, quod DEO ab æternò non omnia*

constent, concedimus, unde & nos taxamus Socinianos, quod non tantum actus liberos scientiæ DEI eximant, sed præprimis in Art. de Prædestinat. statuunt, DEUM ut tardissimum disputatorem formasse hujus Syllogismi Majorē ab æternō: *Qui finaliter crediturus in Filium meum, illum salvabo.* Minorem verò tandem in tempore (quippe quum ab æternō DEUS scientia destitutus, an Petrus finaliter in tempore crediturus, an non?) Atqui Petrus finaliter credit &c. E. (β) lege hic Ludovic. à Dolâ, qui exceptō suō principiō assumptō in negatione consequentiæ Majoris tibi satisfaciet p. 76. 77. Et prolixissimè hic pertractanda esset ratio scientiæ divinæ respectu conditionatorum, cumq; Augustinō Erath. congregiendum, qui legatur in l. c. Tract. I. disp. I. Controv. 2. p. 30. seqq. sed jam non vacat, unde (γ) nego consequentiam. Decreta enim ordine causæ sequuntur nostræ voluntatis determinationem. Si enim præscientia præsupponit nostram determinationem. E. & decreta, nō conditionata intelligas. Prius probatum alibi. Atqui præscientia non lædit nostram libertatem: E. neque decreta. Sit exemplum: DEUS ab æternō prævidit Invictissimum Heroem Principem Auriacum nunc gloriosissimum Regem Anglorū, quem singularis Cœli benignitas huic afflictissimo seculo donavit (DEUS ILLUM Protestantium publico conservet, quod pientissimum & commune omnium votum est) si in hac dignitate Regiâ constitutus, Religionem defensurum: decrevit igitur Regios honores & opes invidendas ipsi concedere: Atqui in tempore omnia eveniunt; quomodo sic decreta possent irrita fieri? *Dicis: Sic nullum adstruis decretum necessitans: Resp. Benè; & hoc volo. Instas: Est admittendum propter firmissimas rationes. Resp. illæ rationes sunt infirmissimæ, quod constabit ex dicendis.*

III. *Nihil absurdi sequitur, si decretis determinationem ad unum concedamus, imò potius absurdum sequitur ex contrariâ sententiâ; nam voluntas habet inclinationem naturalem, & universalem quasi appetitum ad obediendum DEO. E. necessario obediēt.* Resp. (α) imò absurda pluri-
ma sequuntur; vide nostra argumenta probantia. (β) Perinde est ac si inferrem: Pater habet quasi implantatum erga liberos benevolum affectum: E. necessario illos amat: E. non potest odisse, neque ullus Patrum hactenus fuit, qui liberos neci ipsi tradidit. Vel: subditi habent amorem à naturâ sibi concreditum erga suum magistratum: E. necessario obediunt: E. nunquam rebellant. (γ) inclinatio illa naturalis est inde-
ter-

ter-

terminata & indifferens ad plures actus in specie; quomodo igitur necessitas obtinebit ad unum actum? probetur quod voluntas ipsa se non possit determinare.

IV. *Si decreta DEUS de omnibus nostris actionibus ab aeterno fecit, & infallibiliter quod illa eventum sortiuntur in tempore, sequitur quod homo necessario agat.* Resp. est argumentum detritum. Distingvatur modò inter necessitatem *consequentis* & *consequentiae* & res erit confecta. Perinde est ac si dicerem: Si Rhetorfortis vel alius Reformatus constituit secum suggestum sacrum conscendere, reverà quoque templum ingreditur, & decretum exequitur, necessario concionatur. Ego non negabo. Aliàs notissimum est de necessitate consequentiae, quod Syllogismus bonus esse possit in formâ, & necessario concludere, licet falsissimus sit in materiâ: e. gr. O. formosus est adulter. Coelius est formosus: E. est adulter. vid. Dannh. in Hodom. Calvin. Phantasm. 3. p. 849. *Applico*: positò igitur quod DEUS præviderit, hominem constitutum in his vel illis circumstantiis operaturum, ad quam operationem DEUS decernit concurrere, emergit sanè mera consequentiae necessitas.

V. *Si executio decreti i. e. actualis concursus in tempore est causa nostrarum actionum liberarum, sequitur quod & decreta ipsa.* Atqui & c. E. Resp. (α) Transeat consequentia, quæ tamen certo respectu limitanda. (β) argumentum frigidè est informatum. Possumus enim sanò sensu concedere, concursum esse causam nostrarum actionum & c. sed latet angvis in herbâ; unde (γ) invertimus: Si executio decreti i. e. actualis concursus non est causa nostrarum actionum liberarum, sequitur quod neque decretum. Probetur igitur prius. Probat: Homo qui cum DEO cooperatur est causa actionis: E. multò magis DEUS qui cum homine. Resp. (δ) uti dixi statim ab initiò, ludis terminò causæ. Argumentum simile esset tale: Dux belli arma ministrat militi, ipsum corroboret, defendit ne impediatur: E. est causa actionum heroicarum, quis negaret? Tu intendis argumentò evincere, decretum DEI & concursum esse causam necessitantem & infallibiliter NB. præmoven-tem, & probatio nil aliud dicit, quam Operationem DEI esse causam conservantem & concurrentem. E. vanissimè omnia dicuntur.

VI. *A quò res aliqua denominatur necessaria, illud imponet rei necessitatem. At à certitudine decretorum divinorum providentiæ DEI de nostris actionibus liberis illa dicuntur necessaria.* E. Distinctione trita præ-

missa necessitatis consequentiæ & consequentis responsio erit facilis. Si enim ita capis: A certitudine decretorum divinorum actiones nostræ dicuntur necessariae necessitate consequentiæ: E. decreta imponunt rei necessitatem consequentiæ; Consentio. Si verò ita: à certitudine decretorum, tanquam à ratione primâ, cur aliqua actio non possit non evenire, actio dicitur necessaria. E. actioni imponit necessitatem, concedo consequentiam, nego antecedens. Unde facilis limitatio, respectu subjecti Majoris: A quò res aliqua denominatur necessaria, ut à ratione primâ, cur aliqua actio non possit non evenire, illud imponit rei necessitatem consequentis; concedo Majorem, nego Minorem.

VII. *Si DEUS non est causa cur hoc potius modò quàm illò agamus, voluntates nostræ gubernationi & providentiæ divinæ non erunt subjectæ. At posterius est absurdum. E. & prius.* Conf. Contenson. l. c. Tom. I. p. 702. col. 2. qui idem urget respectu concursus & motionis infallibiliter determinantis; & Dn. D. Braunius l. c. p. 185. *Voluntas DEI efflicax est ipsa DEI providentiæ & c.* Respondet Baronius: *Regulam illam esse curvam b. e. nullam: Si providentiæ non determinat voluntatem, providentiæ non regit eam:* & p. 392. dicit: *Falsas esse calumnias, quibus nonnulli reprehendant sententiam Fõnfecæ & Bellarmini, ac si ex eorum sententiâ sequatur, actiones nostras non gubernari & regi à providentiâ DEI.* Respondeant igitur fratri forsan in hâc opinione degeneri. (β) Tile- nus non cogit Reformatos ad absolutum decretum, horrendum illud monstrum. E. asserendo & probando illud coram Reformatis nullò modò est causa assensus. Quasi providentiæ consisteret in determinatione? Aut sermo est de actionis determinatione ab æternò prævisâ, aut de operatione actuali in tempore. Priori modò si sumatur, nego, quod licet DEUS non efficaciter decernat determinare, providentiæ negetur. Nam qui vires determinandi non solùm vult dare, sed etiam conservare, ille vel maximè providet. Quod verò in operatione actuali, negatâ licet determinatione, DEUS provideat, probatum est à Baroniò p. 390. quem legas. ut adeò miremur perspicacissimum Cajetanum non potuisse penetrare, *quomodo firmitas providentiæ divinæ cum libertate arbitrii possit consistere.* vid. Ludovicum à Dolâ l. c. p. 329.

VIII. *Si actiones nostræ liberæ à DEO non sunt prædefinitæ, evenient fortuitò, & præter DEI intentionem. Consequens est absurdum:*

E. &

E. & antecedens. Resp. (a) est fermè idem argumentum cum antecedente. (b) Cape eandem Syllogem: Si Tilenus non prædefinit ingressum Filii infirmi, sed tantùm dirigit & sustentat illum incedentem, & coambulat, sequitur quod fortuitò & præter Patris intentionem Filius deambulet. (c) Scil. DEUS concessit facultatem & potentiam liberè se determinandi, quam conservat, & in quam partem voluntas inclinatura, prævidet; quâ inclinatione prævisa decernit ad hunc potius actum, quam ad alium concurrere, quem postea ad certum finem dirigit. Quomodo sic actiones erunt fortuitæ, & præter DEI intentionem?

IX. *Si voluntas DEI decretiva non est causa, cur hoc potius modò quàm illò agamus; sequetur voluntatem DEI decretivam non esse causam omnium, & ut Rhetorfortis loquitur in Diss. Scholast. p. 587. absolutum dominium in luteos homunciones & instabiles Angelos, non in Creatorem Summum conferri. Posterius est falsum. E. & prius.* Resp. (α) Posterius nobis planè non est falsum, si intelligis causam prædefinientem, prædeterminantem & necessitantem. Nam sic proculdubio (β) intelligis Antecedens: Si voluntas DEI decretiva non est causa i. e. determinans, & necessitans &c. Aliàs (γ) omninò lubentissimè fatemur, voluntatem DEI decretivam esse omnium causam; quæ voluntas enim causa est hominis non tantùm agentis, sed & ipsius actionis, imò & potentia illius determinantis semetipsam ad alterutram partem, illa est omnium causa. Atqui decretiva DEI voluntas &c. Si verò ad causam actionis requirit, ut DEUS ipse determinet, dicit Vester Baronius p. 392. hoc non potest absque magnâ blasphemiam DEO attribui.

X. *Dicta Scripturae, quæ aliàs ab adversariis urgeri solent, nunc discutienda quoque forent: quia verò vix numerari possunt, liceat ostendere in paucis, esse milites levis armaturæ. Objic. (α) Primates Hierosolymis convenere ad faciendum illud, quod manus DEI decrevit, & NB. Consilium (β8λῆ) ejus, Act. 4. 28. E. consilium DEI primates Hierosolymitanos necessitavit. It. Voluntati DEI quis resistet? Rom. 9. v. 19. E. voluntas DEI est efficax. Multæ sunt cogitationes Viri, sed consilium Domini stabit, Prov. 19. v. 21. E. voluntas & decretum est irresistibile. Per Christum in sortem adsciti sumus, prædestinati secundum propositum ipsius NB. cujus vi fiunt universa juxta decretum voluntatis ipsius. Eph. 1.*

v. 11. *E. decretum DEI nos necessario salvat. Evolvatur* Comment. super Catechism. Heidelberg. Petri à Witte p. 290. 291. ubi multa loca objicit 1. Chron. 29. 11. Hiob. 42. 2. Esa. 14. v. 24. & 27. Cap. 50. v. 2. Psal. 33. v. 9. Psal. 104. v. 29. & papyrus nos deficeret, si omnia loca recensere velle-
 mus. Evolvantur concordantiæ sub voce *Willen Gottes / Rath / Rathschluß / beschlüssen* etc. Resp. ad I. (a) Atqui crucifixio Chri-
 sti peracta ab impiis Judæis est gravissimum peccatum. Ergone DEUS potest efficaciter decernere peccatorum maximum? *Instabis*: neque hoc volumus, nam quod formale attinet, dicimus, illud dependere solum à voluntate DEI permittente; Hinc D. Simon, Profess. Francofurt. infert ita: *Quicumq; consiliò & providentiâ suâ definiit traditionem Christi in manus sceleratas, & qui dictò modò definivit facinus Herodis, Pilati, is NB. decrevit malum permittere.* Ast suprâ diximus, quòd, qui determinet ad materiale, ex quò infallibiliter & inseparabiliter sequitur formale, à crimine non absolvatur. (b) E. sensus erit hic: *Concurrunt ad faciendum, quæcunq; manus tua, & consilium tuum decreverat, i. e. permiserat* (nam permissio etiam est decretum) *ut NB. fierent, Quæ verò consequentia?* Herodes & Pontius Pilatus convenerunt ad faciendum, quod DEI decretum permisit: E. per decretum permissivum ad occisionem Christi necessitati. (c) perinde erit ac si concluderem: Studiosi convenere ad tumultum excitandum, quem Magistratus Academicus violenter non impedivit, sed permisit: E. Magistratus Academicus studiosos ad tumultum necessitavit. Nugæ! (d) quod si diceremus sensum verborum esse talem: Convenerunt Herodes simul & Pontius Pilatus adversus sanctum tuum JESUM, quem unxeras ad faciendum, quæcunq; manus tua &c. i. e. quem miseris ad redimendum genus humanum &c. Cur enim ποιῆσαι ὅσα non deberet ad proximus vocabulum ἐξείσασ referri. Jam quæ consequentia iterum? DEUS decrevit, ut Christus Filius Ejus opus redemptionis perficeret: E. hoc decretum necessitavit impiissimum Herodem. Apage! Cur non similiter infers: Judex decrevit adulterum capite breviorē reddere: E. necessitavit carnificem Begaviensem. Quod verò trajectiones tales in Scripturâ non infrequentes, probavit post Simon. Episcopi-um Instit. Theol. Cap. 15. pag. 896. 897. Philippus à Limborch. (qui aliàs ferè semper ipsum sequitur) in Theol. Christ. p. 166. qui duo una-
 nimi-

nimiter simul urgent trajectionem hanc convenire scopo. Resp. ad II. (α) in genere: E. nulli hominum quid tribuendum, quod DEUM religione suâ colat, nam velis nolis DEO parere cogeris: Voluntati enim DEI quis resistet? (β) dicit Limborch l. c. p. 75. *hæc verba non esse Apostoli, sed impii cujusdam Judæi*: Jam & impius dicit in corde: non est DEUS. Ergone propterea verum erit? (γ) Si instas: *Judæus hæc verba non ex proprio delirante cerebro, sed ex verbis ipsius Pauli formavit, qui dixerat: Non est currentis, sed misereentis DEI: Cui vult, miseretur, quem autem vult, indurat.* Resp. juxta nostrates scopus hujus Capitis est tantum de temporali rejectione. Jam quæ illatio: Esavus ex absoluta voluntate DEI jus primogenituræ & dominium in his terris omisit: Ergo DEI decretum quodlibet est tale: Perinde ac si diceret: Ludimoderator ille Scholæ Cyngerinæ in Hungaria adactus desperatione propter absolutum decretum laqueo vitam finiit, & schedulam his verbis refertam in mensa post se reliquit: Nemo argumentetur: DEUS omnes vocat: Longè secus se res habet: Calvinii instantiam de certò Prædestinatorum numero quisque teneat: Discedo igitur ad lacus infernales: DEO vos commendo, [sed cur commendas; forsan & illi absolute ad interitum prædeterminati, hominum nequissime, qui tam anxie sitis aquas Plutonis, & inexhaustum gratiæ divinæ fontem repudias?] cujus misericordia mihi negata est: vid. Disp. Waltheri de Nomin. Reformat. §. 46. Ergo & omnes reliqui absolutum decretum defendentes jugulum sibi frangent. Vel: hoc decretum judicis est irrefragabile: Ergo & reliqua omnia. Non omnis propositio indefinita æquipollet universali, sed intelligenda est secundum substratam materiam. Sanè Germani factibus dignam judicabunt consequentiam: Germani degenerarunt à pristina fortitudine, & libidinibus sunt dediti. E. omnes. *Urgebis: In apodosis tamen ad negotium salutis iterum respiciendum.* Dixerat Apostolus, Judæos ex voluntate DEI esse rejectos & gentiles assumptos, & quidem Judæos esse rejectos, quod justitiam legis quæsierint, per quam licet currant & velint salvari, attamen, nisi misericordia [vocationis] quam singulis momentis dare non tenetur, accedat, non poterunt salvari. Jam interrogandò replicabant Judæi: Voluntati divinæ quis resistet? Nota quidem sunt verba Benedicti Justiniani in Explicat. hujus Capitis: *Utinam Paulus huic quæstioni planius dilucidiusq;*

N

respon-

respondisset. Nam quæ affertur similitudo desumpta à figulò, cautum & prudentem lectorem requirit &c. Ast si modò attendatur, simile non in omnibus esse simile, res erit clara: Disconvenientia est in his: (α) Figulus utriusque generis vasa FACIT; DEUS verò vasa iræ quæ talia non facit, sed parata invenit. (β) Figulus pro suo arbitrio ex eadem mafsâ alia vasa in honorem, alia in ignominiam facit; DEUS verò vasa iræ tanquam justus judex adjudicat ignominia, ad quam à seipsis aptata sunt [κατηρητισμῶν; ergonè à DEO?]. (γ) Figulus utriusque generis vasis delectatur; DEUS verò vasa iræ tantum tolerat. (δ) adhuc argumentum est optimum: Figulus pro beneplacito potest ex eadem mafsâ facere vas ad honorem & ad dedecus: Ergò multò magis DEUS poterit vasa ignominia jam præparata à propria malitia in ignominia relinquare, præprimis si gratia oblata restiterint: & NB. nulla absurditas, quòd voluntati consequenti & justitia nemo NB. in sensu composito possit resistere. Jam collige: DEUS exercens justitiam suam punitivam homini peccatori in sensu reduplicativo non potest ignoscere. Ergonè DEUS ad peccatum necessitavit? Scio quid Daniel Chamier in Panstrat. T. 3. l. 7. c. 5. §. 4. excipiat, sic inter πρῶτασις & ἀπόδοσις nullam fore convenientiam, & Apostolum faciliori negotio objectioni Judæorum respondere potuisse; quidq; Samuel Rhetorfortis in disquisitionibus Metaphysicis statuatur: Quæc. libertas Opifici terreno datur, Summo Opifici rerum, in æternum celebrando, quoque tribuenda est, imò ἀυξεῖσθαι longè major: At qui intervenit liberum exercitium terreni opificis, regnatq; libertas in rerum artefactarum essentiis formandis, in materiâ, formâ, statuturâ, figurâ, NB. decore, dedecore: E. conf. p. 566. 567. quæst. 9. §. 3. it. quæst. 10. p. 577. ita loquitur: Creatus dominus debet servis aliquod jus; Dominus propter dominium in servum ex jure belli vel emptionis minus juris debet servo, quàm equalis equali; quia verò infinitum est DEI dominium, habet jus in gehennâ perdendi &c. Sed nostri instituti nunc non est ex amussim hæc pertractare; si totum hocce resolvendū Caput, & scopus ipsius clarè proponendus, integra disputatio de novo requireretur; ast res angusta domi, quum aliàs materia dicendi præter omnem opinionem creverit, nos hîc abrumpere jubet. Omnino legenda erit, erudita Disputatio Excellentissimi & Nobilissimi Dn. Lic. Rechenbergii, Præceptoris ac Patroni nostri inter paucos Optimi, de Jure DEI in
Crea-

Crea-

Creaturas &c. Aliàs Schröderus quoque hoc Caput resolvit, & inter Remonstrantes citatus à Limborch totum Caput respectu Anteced. & Consequent. exposuit, qui legatur. Locus Prov. 19. v. 21. incongruè citatur. Nam (α) sit ita, per י, י נצו intelligi decretum DEI de hominum actione formatum; sensus potest esse talis: *Multæ sunt cogitationes Viri, quæ mox huc mox illuc inclinant, ad unum tamen fit tandem determinatio, quam DEUS etiam decreto & concursu suo promovet, & ita stat consilium*: Ergone prædeterminando? (β) Deinde & hæc explicatio potest admitti: *Homines varia judicia de rebus formant, & putant sic aliterve ipsas eventuras; at ignorant DEI consilium, quod firmum erit*: Ergone iterum prædeterminando? (γ) per consilium poterit intelligi verbum revelatum: *Cogitationes hominum sunt variæ & fluctuabundæ: at verbum DEI manet in æternum*. (δ) respectu antecedentium: *Filius castigationes & monita parentum debet observare, ut in posterum ipsi benè sit: de castigationibus & increpationibus variæ quidem sunt hominum sententiæ, & nemo ab altero vult redargui; at voluntas DEI stabit; si quis increpationes & monita non floccifaciet, benedictionem impetrabit &c.* quid hoc ad actiones liberas easq; prædeterminandas? Quod locum ad Ephes. I. v. 11. attinet, resp. (α) in genere ut supra: Si UNIVERSA fiunt juxta decretum voluntatis divinæ prædeterminantis, sequitur quòd & auctor sit malorum. Joh. Crocius quidem in Alast. & Impurâ Triade contra B. Affelmann. acutissimum Theologum suo tempore & Præceptorem B. Hülsemanni negat hæc etiam ad mala referenda p. 53. at certum est, quòd materiale actuum vitiosorum concernit, quòd in genere dicant plurimi Calvinianorum: *DEUM omnia efficaciter velle*: Unde B. Menzerus in Exegesi: *Bella & pia oratio: DEUS omnia efficaciter agit, & tamen DEUS non est auctor peccati. Sc. ponunt definitionem, & negant definitum*. (β) Perinde ac si inferrem: Per Patrem filius ab ipso genitus in sortem est adscitus, prædestinatus secundum propositum Patris omnia facientis juxta decretum voluntatis suæ: Ergò hoc decretum fuit absolutum, necessitans, simpliciter efficax, excludens omnem conditionem pietatis, reverentiæ filialis &c. Reliqua loca futiliter citantur à Petro de Witte. *Omne, quòd est in terris & cælis, est opus DEI: Ergò decretum est prædeterminativum respectu actionum liberarum*. [scio, quòd principaliter hoc dictò concursum prævium necessitantem velit probatum;

tum; ast hic concursus præsupponit decretum efficax concurrenti] At-
 qui peccatum etiam est in terris respectu formalis: E. & hoc erit opus
 DEI. *לך מלכה* Tu habes dominium: Ergone necessitans? *Deus potest*
cogitationes cordis penetrare: E. decreta sunt prædeterminativa respectu
actuum liberorum. Æquè ac si dicerem: Judex scelerum commissorum,
 certior redditus; E. prædeterminavit. Quod verò *ἐν δὲ δυνάμει* non infre-
 quens in Scripturis, notum est. Deinde sit ita, quòd hæc verba peculia-
 rem propositionem constituent: *כל תוכל* inferam & ego: E. poterit
 facere, ut hodiernus dies sit crastinus. Locus Esaianus ex cap. 14. nihil
 facit contra nos. Aut enim ibi sermo est de pœnâ Regis Assyriæ tem-
 porali, aut æterna; si de *temporali*, concedimus, DEUM potuisse ex de-
 creto absoluto Regem Assyriorum punire, quamvis actu hoc decretum
 non formatum, sed potius conditionatum ac malitiam ejus præsuppo-
 nens. Si de *æternâ*, planè negamus DEUM absolutè decrevisse Regem
 Assyriorum damnare. Cadaver consequentiæ: DEUS propter crude-
 lissimam populorum devastationem, propter superbiam aliaqve scele-
 ra decrevit Regem Assyriorum punire, quod decretum certo certius
 implebitur: Ergò decretum est prædeterminans in actionibus liberis.
Instas: Rex Assyriorum non poterat non devastare gentes reliquas, à DEO
enim ipso ut virga & baculus ad percutiendum populos directus: E. Erat
decretum de devastatione & simul de punitione devastatoris efficax. Resp.
 (α) de hoc verò præsens locus non loquitur, infra de concursu dabitur
 occasio differendi. (β) omninò potuisset nō devastare, quia habuit L. A.
 postquam verò DEUS præviderat inclinationem ejus liberam, non im-
 pedivit, sed potius permisit. (γ) DEUS fecit decretum de devastandò
 devastatore per Medos & Persas; sed probetur iterum, quòd Medi ne-
 cessitati & prædefiniti. *Dicis: Hoc decretum DEI nemo potest irri-*
um reddere: vers. 27. Resp. in sensu composito: quid tum? Parco
 chartæ; innumeræ instantiæ possent dari, quarum conclusio tibi non
 absurda. Verba Psalmistæ impertinenter citata. DEUS verbo po-
 tentiæ in prima Creatione omnia produxit, nam dixit, & factum
 est, Ergò & efficaciter decernit actiones liberas. Quilibet dispari-
 tatem agnoscit: &c. *Sequntur objectiones respectu concursus.*

I. Quod concursum determinantem [vel rectius prædeterminationē
 physi-

physicam] attinet, putat Heerboord hoc esse efficacissimum argumentū
Quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi per aliquod, quod sit in actū. Sed omnis causa secunda est in potentiâ ad agendum antequam agat. E. non potest reduci ad agendum nisi per aliquod quod sit actū. Jam verò nulla causa secunda est causa in actū, sed tantum in potentiâ, sola verò causa prima est talis. E. Resp. Si Major ita accipitur: Quod est in potentiâ non potest reduci in actum, nisi per aliquod quod se instar principii determinationis habet: concedo totum argumentum. Quod verò sic nulla causa secunda habeat principium determinandi semetipsam, turpis est petitio principii.

II. Objicit Heerboord *Disp. 10. thes. 1. p. 75. col. 1. Qui concurrunt simultaneè, ille & præviè & prædeterminanter. At qui juxta vos fermè præter Durandum & c. E. Resp. probetur Major. Probat: Aliàs aut ipsa Creatura determinabit DEUM (Contenson exhorrescit l. c. p. 702. nam sic causam secundam fieri primum motorem) aut causa prima & secunda determinabuntur ab aliâ tertiâ; aut concurrent fortuitò & casu, quæ omnia absurda. Addit porrò: Hoc argumentum Spavazio concursus præviè aliàs hosti maximo summæ difficultatis visum, Disp. Metaphys. 22 Sect. 4. Resp. Anne absurdum quod Creatura determinet DEUM e. gr. in actionibus malis? Instat: *ad actionis vitiosæ formale DEUS non concurrat: E. in hoc concursus divinus non potest determinari.* Resp. ad minimum concursus divinus respectu materialis ab hominibus determinatur & quasi detorquetur, quod sufficit; DEUS enim non obtinet finem suum, qui procul dubio, quantum ad sanctissimum DEUM, bonus. E. falsum est quod p. 76. dicit: *repugnare puro actui esse determinabilem & determinari in actione per aliud, quia quod determinat, perfectius sit determinabili aut eò quod determinatur.* Subsumo enim: perversissimæ animæ inclinatio determinat concursum divinum respectu materialis: E. perversissima animæ inclinatio perfectior erit concursu DEI. Absurdum! Vel si mavis: Jacob victor discessit: E. fuit perfectior Angelò increatò. Nugæ! Desinat igitur hanc assertionem figmentum Jesuiticum dicere, sub quò angvis lateat in herba; potius pestilentissimum venenum sub prædeterminatione absconditum ib. p. 76. de quò cheu Theologi orthodoxi prægnantissimam querendi ansam inveniunt!*

III. Argumentum num. 4. propositum, quò infert; *Si concursus divinus ab hominibus determinatur, sequitur quod DEUS ipse tanquam causa prima. At qui hoc imperfectionem, indigentiam, potentialitatem importat &c. E. per responsionem datam cadit. Concedimus DEUM ipsum certò respectu determinari in hác actione, & quidem quia DEO ita placet, negamus verò consequentiam annexam p. 77. E. DEUS erit imperfectus. (Ludovicus à Dola p. 381. idem urget. Sed huic Respondemus: Cur verò non imperfectio quod viribus à DEO concessis pro lubitu ueamur, & excitatione ad operandum?)* Objicit ulterius p. 77. col. 1. n. 5. *Si DEUS primò tantum concurrat universaliter ad genericum actionis, homo verò dat esse specificum actioni, ad quam actionem specificatam postmodum utraq; causa aequè concurrat, causa secunda magis influet quàm prima, & dabitur entitas, quæ efficientiæ divinæ eximetur? Posteriora sunt absurda: E. & prius Resp. quod primum concernit, non absurdum est secundam causam magis influere i. e. semetipsam determinare ad specificum actionis, cum propter actiones liberas DEUS ultrò à determinandò abstineat: quamvis dicere quoque possimus DEUM concurrere ad determinationem causæ secundæ respectu potentiae determinatricis ipsi concessæ. Quod posterius attinet, nego sic futuram Entitatem aliquam independentem à DEO; nam vis determinandi semetipsum est à DEO. Causa verò causæ est etiam causa causati: Instat: Periculosissimè hæc assertio postmodum actionibus supernaturalibus applicatur. Resp. (α) Pessimè: Fatemur enim voluntatem nostram esse pedissequam gratiæ totius ordinis sc. excitantis, prævenientis, operantis, & concomitantis, & approbanda omninò sunt verba Contensonii (prædeterminatione physicâ exceptâ) *Nisi DEUS intus luceat, intus moveat, intus coruscet, & juxta Conc. Araus. Can. 7. in consentiendò suavitatem infundat, frustra Prædicator forinsecus tonabit, frustra & miracula patrabit; lege & Prosperi verba ib. p. 747. licet non irresistibiliter, præprimis respectu gratiæ operantis, & omne motivum etiam excludimus ex naturâ ad gratiam supernaturalem dandam; contra Pelagium (colubrem illum Britannum, & in specie Scotum,) & Ludovicum Molinam adversarium Francisci Zumel, quamvis possimus minora impedimenta ponere; Contenson. l. c. p. 749. (β) sed habeas idem argumentum: Periculosissimè gratiam necessitantem defenditis: Periculosissimè aliquandò axiomata ex indu-**

indu-

inductione rationis formata revelatis applicantur: Ergone gratia necessitans planè non posset dari? Ergone prædicta axiomata propterea in circulo naturæ non vera? (γ) quod homo admittat operationes DEI etiam est ex gratiâ DEI; & si in æquali gratiâ oblatâ unus illam admittit, alter non, ille qui admisit non potest gloriari &c.

IV. Apud Augustin. Erath alias objectiones inveni verb. grat. *Concilium Arausicanum II. Canon. 4. decrevit omnes teneri credere, DEUM non expectare voluntatem hominis.* Resp. DEUS non expectat voluntatem nondum excitatam (loquor de supernaturalibus) ad opus supernaturale per gratiam prævenientem: concedo; non expectat voluntatem excitatam: probet; de hoc planè Concilium non loquitur. Erath. p. 379.

V. *Omnis causa creata dependet in causandò aut à causâ primâ solâ aut à primâ cum secundâ. At qui nulla dependentia erit, quàm quæ ex prædeterminatione physicâ.* E. Resp. Hoc argumentum sufficientissimè Svareziani diluunt apud Erath p. 381. seqq. suppeditando alias dependentias. *Breviter: Si argumentum ita informatur: Quicquid est ens creatum, illud in causandò dependet vel à causâ primâ solâ, vel à primâ cum secundâ. At qui determinatio prima voluntatis est Ens &c. concedimus totum argumentum; nam omninò determinatio dependet à causâ primâ, quippe quæ vires determinandi concessit, libereque agendi. Quamvis aliqui dicant ad Minorem, determinationem illam non esse simpliciter Ens reale aut modale, sed tantum formalitatem aliquam Entis realis; ad quam responsionem tamen adversarii instant: sit ita: at qui effluxus, emanatio, dependentia & egressus actionis à causa secundâ, vel ut alii loquuntur, exercitium illud potentie operative ex confessione propria non est ens rationis, sed aliquid verum reale in rerum natura existens (sc. formalitas aliqua Entis realis, sicuti animalitas hominis.) E. & hanc formalitatem DEUS debet physicè & quidem immediatè causare. Unde respondemus porrò: Siverò argumentum ita informatur: Quicquid est Ens creatum, illud in causandò dependet à causa primâ &c. per prædeterminationem physicam, negatur connexio Majoris, & omninò Svareziani apud Dn. Erath c. 1. alios dependentiæ modos monstravere, qui ibi legantur. Instant: Actionem ipsam respectu concursus concomitantis physicè DEUS producit: E. etiam emanationem actionis seu ejus causalitatem, quia perfectio causalitatis*

is seu emanationis ita essentialiter annexa est actioni, ut realiter ab illa separari nequeat. NB. Hanc Replicam Doctissimus Pater Erath multoties citatus dicit fortem p. 394. Resp. probetur, quod ita essentialiter annexa sit determinatio actioni; absque probatione nullam apud nos obtinebit fidem. Instant. Sic Durandus obtinebit, DEUM etiam ad ipsas actiones tantum moraliter & mediate concurrere, quod nullus Theologorum probat; nam omnipotentiam DEI & excellentiam universalissime cause primae imminueret ib. p. 406. Resp. negando consequentiam; loca Scripturae repugnant sententiae Durandi.

VI. *Voluntas nostra est principium indifferens & indeterminatum. E. debet determinari à DEO, qui semper est in actu.* (NB. est idem argumentum, quod primò loco propositum; hic tamen paulò aliter tractabitur) Probant consequentiam apud Dn. Erath p. 408. *Indifferens & indeterminatum* (est sphaema typographicum DETERMINATUM debet legi) *inter se opponuntur, sicut frigidum & calidum: A frigido verò qua tagi non potest procedere calor: E. neg. ab indifferente determinatum* Resp. (a) Voluntas divina fuit indifferens de mundo condendo; de lapsò genere humano redimendo &c. E. debuit determinari ab aliò (β) in agentibus necessariis concedimus; in liberis negamus consequentiam, sc. (γ) voluntas nostra licet sit indifferens antequàm determinetur, habet tamen virtutem & eminentiam ut virtualiter sit in actu, & semetipsam possit determinare. E. *limite*: Voluntas indifferens debet determinari à se, quatenus aliò respectu virtualiter est in actu: concedo; debet determinari ab aliò extrinsecus adveniente moraliter: adhuc NB. certò modò concedo; *physicè* praedeterminando; nego. Legatur omninò Suarez de verà Intellig. Auxil. effic. c. 30. Cap. 2. Argument. Augustinus Erath. p. 410. regerit, instantiam esse incongruam, quia sit à dispari desumpta. Causam enim primam esse simpliciter primum liberum & primum determinans, ab omni aliò independens in operando: at verò causam secundam esse subordinatam primae. Resp. disparitatem in hoc concedimus; sed cape simile argumentum: Nostrates ad Majorem Bellarmini: *Quicquid non continetur in verbò DEI, de illò nemo potest esse certus* (in controversiâ: an homo possit esse certus de salute suâ?) subsumpserunt: *At qui Papam hodiernum esse successorem Petri non continetur in verbò DEI; jam verò distinctissima esse certitudinem de salute, & successio-*
nem

nem

nem Pontificum in sellâ Petri: E. hæc instantia erit incongrua. Hoc quidem dicit Erbermannus olim noster, postea verò per apostasiam Vester in Bellarminò Vindic. Tom. IV. L. V. Cap. 2. p. 132. & Lib. VI. p. 212. (liceat hîc indulgere justo dolori, quod nemo apud exteros ausus incomparab. Gerhardum aggredi, cui similem ex Adversarii cujusdâ testimoniò nec habuimus, nec habituri forsân sumus; & tamen hic ipse scurra & nebulo egressus è castris nostris Beatissimum Virum propter Bellarminum Orthodoxum, admodum scurriliter tractavit; utinam pro meritò impudentia ipsius, in scriptis conservata, redargueretur à Theologò.) Sed pro auctoritate scil. quâ pollet. Vel si mavis, ad argumentum Lutheranorum: Quicumque procidunt coram pane & vinò in processibus, illi sunt idololatræ; Pontificii aliquando subsumunt: Atqui Ecclesia Scotica Reformata procidit coram pane & vinò, vid. Joh. Forbesium, SS. Theol. Doctorem, & ejusdem Profess. quondam in Academiâ Aberdoniensi in Irenicò suò p. 16. seqq. Jam verò multæ disparitates inter Ecclesiamoticam Reformata, & Papæam suppeditari possent. E. hæc instantia est incongrua. Vel, ad Majorem Jacobi Benigni Bosveti olim Delphini Præceptoris & Condomensis Episcopi, nunc verò Mildensis, probaturi Communionem sub unâ, vobis applaudentibus; Quicquid pro re indifferenti habitum in primitivâ Ecclesiâ, illud hodiè adhuc pro tali assumendum: quicquid sit de Minori: Atqui communicare vel sub unâ vel sub utraque indifferens fuit in primitivâ Ecclesia: respondere multi: Atqui in primitiva Ecclesia indifferens fuit, infantem Christianismo initiandum cum baptisimò aut simul circumcidere aut non &c. E. adhuc hodiè: disparitas verò magna obtinet inter Sacram Cœnam & Circumcisionem: Ergone propterea statim hæc instantia rejicienda? (β) quod causa secunda primæ subordinata nullus negat; quod verò subordinatio hæc inferat prædeterminationem physicam, nunquam conceditur: & tamen propterea Durandum nequaquam scandalizamus, uti antea dictum.

VII. Succedit difficilis objectio: *Voluntas non habet potentiam proportionatam ad actus supernaturales: E. physicè est prædeterminanda: Antecedens est verissimum: Cœci enim sumus in spiritualibus ante regenerationem, imò planè mortui in peccatis: Consequentiam probant: Si tollitur prædeterminatio physica, remanebunt motio moralis ad determina-*

sionem primam, & gratia coefficientia respectu determinationis secundae; neutrum verò voluntatem physicè reddit potentem; movens enim moraliter præsупponit potentiam; sic absurdissimus ille esset, qui lapidem blandè alloqueretur, ut secederet è via: & ex nostrâ confessione certum esse concursum simultaneum seu gratiam coefficientia se non habere ut actum primum, sed ut secundum, & ab ipsa causâ secundâ determinari; quid quod implicet ab ipsa operatione aliquem fieri potentem ad operandum; Operatio enim actualis est posterior naturâ, & potentia ad operandum præcedit. Resp. (α) in genere, argumentum in tantum concedendo, sed disputando ad hominem: Si voluntas non habet potentiam sufficientem, nisi prædeterminatione physicâ accedente ad actus supernaturales eliciendos, non erit gratia sufficiens à gratiâ efficaci distincta: posterius est contra vos. E. Respondet Erath l. c. p. 416. sine gratia prædeterminante voluntatem non habere potentiam operandi in actu secundò; benè tamen, si gratia sufficiens concessa, in actu primo: & sic adhuc manere discrimen inter gratiam sufficientem & efficacem. Sed qualis hæc potentia sufficiens, si impossibile, ut in actum deducatur? de his verò omnibus suprâ egimus. (β) negamus in argumentò consequentiam. Concedimus DEUM physicè operari in nostras voluntates & intellectum, & concedere quoque vires, ut mediantibus illis, cum aliàs mortui ad actus supernaturales, per non repugnantiam & admissionem nos determine-mus: Ergòne statim per prædeterminationem physicam & infallibilem? S. Rhetorfortis in Disp. Scholast. p. 375. Objicit

VIII. *Quic: concursus imperfectionem DEO importat, ille non est fingendus. Atqui concursus indeterminans sed determinabilis &c. Ergò. Min. probat: Nam oportet DEUM dicere (α) decerno generalem concursum præbere Creaturis, sed (β) nondum determinavi, qualis in specie futurus sit. &c. Resp. perinde est ac si concluderem: Quicquid importat imperfectionem Patri, illud de eo non concipiendum: Atqui non dare prius Filio pecuniam, quàm si Pater viderit ipsum obedientem futurum, importat &c. E. prob. Min. DEUS hîc non dependet à voluntate creata, sed à decreto suo libero: Instat: Nemo tam hebes est, qui non videat decretum DEI sic dependere à nutu voluntatis humane. Resp. primariò non, secundariò, posito decreto DEI liberò, concedo, quid inde absurdi? Objic,*

IX. *Sic preces erunt frustranea, quas & gentiles ad DEUM fuseré pro conversione hostium: sic enim potius libera hominis voluntas imploranda.* Resp. (a) cum Cardinali de Lugo (vid. August. Erath. l. c. p. 257.) Si DEUS physicè prædeterminat ad donationem alicujus libri, sequitur, quod Rhetorfortem frustra implorem ad dationem disputationum de Gratiâ. August. Erath. potentiâ suâ passivâ in contrarium jejune negat consequentiam, quæ tamen non hujus loci. (b) Perinde erit ac si inferrem: Si Cancellarius non certissimè & infallibiliter in petitô mihi gratificari potest, sequitur, quod frustra Ejus favorem implorârim. Nugæ! Respondent aliqui, omninò etiam repudiâtâ determinatione Sancti possunt orare propter concursum generalem; Regerit Rhetorfortis: *His precibus nil jejunius est.* Respondeo: Perinde est ac si inferrem: Magistri Lipsienses in Electione Magnifici Rectoris admonentur, ut personas dignas his honoribus quærant, quæ Electio vel maximè adhuc generalis: E. hâc admonitione nil jejunius. Jejune! (c) Concedemus & hoc, concursum specialiolem precibus à DEO efflagitari posse: Ergone ille concursus determinabit? Perinde ac si concluderem: Ego in specie à Rhetorforte expeto, ut mihi scripta sua communicet, quæ nondum possideo; ast avidè anhelò: E. offerendo scripta me ad acceptionem necessitabit. Absonè. (d) probetur, quod concursum prædeterminantem quisquam sapiens à DEO exoret. Vid. quomodo Contentson idem argumentum urgeat p. 703. contra Jansenium concursum in statu integrò specialiolem negantem. Objicit

X. *Si concursus non esset prædeterminans, frustra DEUS promitteret Esa. 44. populi sui liberationem per Cyrum, & Chaldaeorum vastationem per Medos Jerem. 50. & conversionem gentium per liberum Apostolorum & Pastorum ministerium.* Resp. probetur consequentia: Probat: quia non est à DEO, sed ab agentibus liberis determinantibus DEI voluntatem, & concursum generalem, & ex se indifferentem ad populi liberationem, vel non liberationem, & quod sit vastatio potius quàm non vastatio: &c. Resp. Perindè est ac si concluderem: Si Princeps Hæreditarius Clementiam suam vellet exhibere Ministro, ex aula fugato, illud verò efficere non valeret nisi Patris, Regis, auctoritate stipatus & fultus; unde & benevolam affectum erga Ministrum Patri communicat, quem Rex postmodum propalat: E. Pater Principem suum hæreditarium ad hanc

Regiam gratiam necessitavit. Liberes DEUM ab imperfectionibus, qui non opus habet, ut quis ipsi inclinationes cordis revelet, sed ut *πανβλέπων* omnia *קנה* cognoscit, & videbis easdem nugas esse in hoc argumentō. Nulla necessitas nos cogit, ut responsiones directas addamus, quod enim exinde sequatur, DEUM non futurum veracem, si non prædeterminet, vanum est, uti ex dictis patet, & Rex prædicens benevolum Filii affectum non est mendax. Objicit

XI. *Positō concursu tantum generali frustra gratias agimus DEO de bonis procuratis per agentia libera, frustra DEO confidimus &c.* Resp. Æquè inferre possum: Si Protonotarius Consistorialis ad rem decidendam non necessitat, sed tantum proponit, sequitur quod frustra ipsi re obtentā gratias agam. Nugæ! (2) confidimus DEO, ut qui actiones liberas tandem in bonum finem convertet apud alios liberè agentes. Objicit

XII. *Si concursus indifferens, sequitur copiam & inopiam frugum, ovium, leonum, piscium, it. auri & argenti, divitiarum, quæ obveniunt hominibus, actibus liberis mercandi, non esse à DEO.* Resp. (a) priora objecta non sunt ad rem; loquimur enim in disputatione de concursu ad actiones liberas. Ergone terra, arbores, bruta liberè actionibus suis funguntur? Instabis: *Hæc responsio est nulla, neq; hoc intenditur objectione.* Resp. quid igitur desideras? forsan hoc voles: Si DEUS non determinat hominum actiones, sequitur quod multitudo ovium, piscium, frugum &c. DEO non adscribenda: & sic loqueris de multitudine ovium &c. quatenus studio & labore hominum acquiruntur. Resp. igitur: Si verò copiam & inopiam frugum consideras quatenus à diligenti hominum culturâ & sudore proveniunt, ad quem laborem DEUS etiam concurrat, & tamen non necessitat; nam nullum Corydonem, sub tegmine fagi recubantem, & aves prætervolantes apertò ore meditantem, (mens enim aliquando deficere videtur) fustibus adigit; tunc nego copiam vel inopiam frugum DEO non adscribendam; qui enim vires agendi largitur, illasq; ad finem actionis usque coëfficiendò committatur, postmodum causas naturales ita disponit, ut tempestiva & ferotina largiter decidant, ille profecto frugum causa. (2) idem respondemus ad actiones liberas mercatorum; ut adeò nostra sententia Scripturæ planè non contraria. Nam quæ consequentia? Opulentia & pau-

pau-

pauperies est à DEO : E. à DEO actiones, vel divitias, vel paupertatem inferentes, necessitante. Cur non ita : DEUS jussit Simei maledicere Davidi : E. hæc maledicentia & crimen læsæ majestatis fuit à DEO necessitante. Affaniæ impiissimæ ! Objicit

XIII. *Si concursus indifferens, multis modis particularis DEI providentia evertetur.* Resp. Probetur consequentia. Probat ex multis locis Scripturæ ; *sic enim falsum futurum, DEUM dare nives, imbres, pluvias, corvis escam, alas ciconia, robur eqvo, aperire cæcorum oculos, in thronum mendicos evehere &c.* Resp. (α) si concursus determinans, multis modis evertetur libertas humana. (β) Quasi scilicet providentia particularis consistat in necessitatione & determinatione. Respondi nuper in Disputat. de præscientiâ habitâ quærendo : Annon quis particulariter imò particularissimè Calviniano provideret, si multis vicibus amicissimè ipsum moneret, ut ad nomen JESU caput detegere, & genua incurvare non gravaretur, licet pileum de capite non violenter deturbaret, aut pedes complicare cogeret ? Vel si mavis : Annon Celsissima Commissio Regia Rhetorforti in Aberdoniensi carcere constituto provideret specialiter, si & potentiam exeundi, & media sufficientia supeditaret ad locum tutissimum perveniendi, licet vi carcere ipsum non expellat, & crinibus trahat. (γ) potuisset in materiâ aliàs philosophicâ Scripturam missam facere, quippe Philosopho non incognitum dare DEUM pluvias, nives &c. Ast (δ) mirari satis non possum futilem doctissimi aliàs Viri illationem, quâ cælum terræ miscuit. Concedo DEUM determinare influendò nives, pluvias, glaciem, & determinare semetipsum ad escam corvis porrigendam; anne verò propterea sequitur : E. etiam determinat subditorum animos e. gr. Anglorum, Scotorum ad electionem Regis Herois Incomparabilis, ad cujus facta bellica & expeditiones inusitatas Orbis terrarum adhuc obstupescit, Principis Oraniæ &c. & ad exclusionem Regis profugi. Perinde ac si inferrem : Rusticus determinat eqvum. E. & servum : Vel : Rhetorfortis in concionibus blandissimè loquitur cum peccatoribus contritis : Ergò & eodem modò procedit cum præfractissimis & contumacissimis. Nugæ ! Instat : *Sic pauperies & opulencia adscribentur causis secundis, & non primæ, si hæc non determinat.* Resp. & primæ & secundæ ; nam quilibet suæ fortunæ faber. Neque est ut Rhetorfortis exclamet : *O provi-*

dentiam omnis fidei, spei, amoris & consolationis inopem & vacuam? Nam retorquemus in providentiam determinantem: O providentiam omnis rationis, pietatis & debiti rationalisque cultus innopem & vacuam! Dixerat Bellarminus, τὸ *ESSE specificū & singulare actionis esse à concursu DEI determinato per actionem causa secunda*; infert exindè Rhetorfortis: *E. actio, qua mala, habebit Esse specificum à DEI concursu; Vel: actio qua bona non habet Esse specificum à DEO, quod absurdum.* Resp. (α) hanc consequentiam non admittit Heerboordus in disputat. selectis, qui distingvit p. 80. inter materiale & formale, & addit, *DEUM non tantum ad materiale remotum, sed & proximum; specificum non tantum, sed & individuicum concurrere, ad formale vero neutiquam!* Cur igitur nos hæc consequentia premeret? (β) Si est à determinatione humanâ in actibus malis, quomodo concursui divino adscribetur? Instat: *Concursus DEI est primæ cause actio, & principalior quàm secunda: E. Esse specificum erit prius & principalius à DEO, quàm à causa secundâ: E. concursus divinus non erit determinabilis, sed determinans.* Resp. Perinde est ac si dicerem: Motio manus in Principe principalior est, quàm Philosophi naturalis & stulti: E. si hic manum Principis detorqueat in genas consiliarii intimi, Princeps specificum Esse suppeditabit huic actioni. *Ap- page! Objicit*

XIV. *Concursus determinabilis actus liberos DEI Dominio exsolvit; DEUM ad agendum necessitat, & ad non agendum impossibilitat: E. est repudiandus.* Resp. Consequentiam concedimus; probetur verò antecedens. Probat. & quidem quoad prius: *Hic concursus non magis actum, quàm non actum producit: E. evertit DEI Dominium.* Resp. Perinde est ac si dicerem: Rhetorfortis proponens mihi horribile decretum absolutum non magis ad consensum illius quàm ad dissensum concurrat. E. si fierem supralapsarius Rhetorfortis nil ad apostasiam contulisset &c. (β) Fingit iterum dominium necessitans per petitionem principii. Sane Princeps habet dominium summum & retinet in subditos, licet hi per rebellionem aliquando mandata non exequantur: Si enim cogeret, esset dominium tyrannicum & emergeret obedientia, quoad externa, coacta. Probat duo posteriora membra: *Si causa secunda agat, necessario DEUS coagit & concurrat: nam impossibile est, ut actio causa secunda absq; primâ sit. E. DEUS sic necessitatur; & per eandem rationem etiam im-*

im-

impossibilitatur DEUS ad non concurrendum, si causa secunda prius ordine nature non agat. Resp. Necesitas est duplex, *consequentia & consequentis.* Mihi non absurdum, positâ liberâ DEI voluntate & decreto concurrendi cum actione ab ipsô homine electâ, si DEUS necessariò concurrat, & necessariò abstineat; uti non absonum, Patrem necessariò filio obedienti præmium porrigere, quia antea hoc pro libertate & paternô affectu promiserat. (β) Si verò DEUS vellet ex absolutâ voluntate agere, nego, quod non possit concursum specialem subtrahere, & tamen propterea agens liberum non annihilaretur. Instat: *Si concursus DEI est in meâ potestate: E. etiam erit in meâ voluntate DEI voluntas æterna concurrendi, & sic aliquod temporale causabitur æternum.* Resp. habeas idem argumentum: Si patiens actualement offensionem re-
tundit, sequitur, quòd & in decretum offensionis ante annum e. gr. formatum, potestatem habeat: Ergò res in præsentis causabitur decretum præteritum. (β) Si rectè explicetur, nil absurdi erit; DEUS enim prævidit ab æternô, si e. gr. Philippus Rex fieret, & Regina potiretur, posset hâc die vel horâ Monarcha ille Alexander gigni, si ego liberæ inclinationi Regis & Reginae concursum non denegarem. Atqui volo concurrere. En certò modò causati sunt Rex & Regina hoc decretum DEI, & aliquod temporale, limitò, in æternitate prævisum, occasionem suppeditavit decreto. Instat ulterius: *Futuritio concursus DEI est in meâ potestate: sed quia futurum nunquam incepit esse futurum; vel libera mea actio fuit ab æterno, quod falsum; vel futuritio concursus DEI nullam habuit causam, quod etiam absurdum.* Resp. (α) libera inclinatio, in tempore actu futura, prævisa est ab æternô, uti juxta tuam hypothesein Petrus in tempore salvandus ex facto decreto absoluto & efficaci fuit cognitus. (β) habet igitur causam, tum quia ipsi lubuit creaturam non otiosam relinquere, tum quia liberam hominis inclinationem prævidit. Instat: *Voluntas humana sic esset liberior, quàm divina. Nam humana voluntas & concursus hominis præcedit juxta vos DEI voluntatem.* Resp. (α) neque Major procedit: Quod præcedit in liberâ volitione, illud liberius. Perinde enim est ac si dicerem: Qui primus sententiam profert, ille sapientior &c. (β) neque Minorem simpliciter concedo: Quod si enim talis ordo conciperetur: Volo huic homini concursum dare, si videro illum se determinaturum; Atqui video &c. E.
Sic

Sic sanè voluntas dandi concursū conditionata ab aeternō formata præcederet determinationem etiam prævisam, quavis simplex decretum determinatione nostrâ, quoad concipiendi modum, posterius. (γ) Sit ita, voluntatem humanam certō modō liberiores esse divinâ: Sic homo majorem libertatem circa mala habet, quippe quæ in sanctissimo DEO non reperitur; DEO ita placuit cum hominibus agere. Objicit

XV. *Concursus indeterminatus est vanus; probat: Concursus indeterminatus juxta vos expectat cooperationem creatæ voluntatis & determinationem; at hanc DEUS ut impossibilem non potest expectare: quia voluntas creatæ caret comprincipiō essentialiter requisito ad suam cooperationem efficiendam.* Resp. Comprincipium tibi est concursus determinans; petis iterum τὸ ἐν ἀρχῇ. (β) Retorqueo per inversionem: Concursus determinans est vanus; probo: concursus determinans juxta vos necessariō creatæ voluntati ante determinationem quoque prævisam expectandus ut determinet; at talem determinationem ut impossibilem in statu viæ & modō agendi ordinariō voluntas non potest expectare, quia est libera, & semetipsam debet determinare, vel non determinare pro lubitu. (γ) Simile quod addis: *Si DEUS absque concursu determinante expectaret determinationem, idem esset: ac si judex liberam incarcerati vincti ambulationem per agros expectaret, priusquam vel vinculis ipsum expediri, vel fores reserari curaret.* Resp. Aut sermo est de actionibus supernaturalibus, aut moralibus, aut aliis naturalibus. In prioribus omninō DEUS prius vincula remove debet; in posterioribus verò per concursum generalem præsuppositum homo semetipsum determinare potest. Objicit

XVI. *Sic homo perfectior DEO. Probat: quia omnis causa determinans nobilior est determinabili: provocat ad Bonavent. & Bannez.* Resp. ad hoc argumentum suprâ regessi aliquid, quum Heerboordi rationes contrarias examinarem; Æquè enim inferre possum: Vincens perfectior est victō. Atqui Patriarcha Jacob erat vincens. Ergò perfectior Angelō increatō victo. Vel: Infans aut puerulus utitur pro libertate directione & manu sustentante matris: Ergò perfectior est matre. Objicit

XVII. *Si concursus determinabilis, sequitur, DEUM aequè concurrere ad aëtus malos & bonos: at hoc absurdum.* Probat consequ. *Concursus*

sus

*sus enim DEI juxta vos ex æquo est indifferens ad hos omnes actus. Absurdum verò omninò esse, DEUM non aliò modò esse causam bonorum, quàm malorum: [quæ ulterius addit, supra sunt discussa] Resp. (α) Si concursus determinans ad materiale proximum actuum vitiosorum, sequitur, DEUM æquè concurrere ad actus malos, ac bonos. (β) Quod si concederemus consequentiam primam, & negaremus, absurditatem exinde promanare? Quamvis hoc verissimum, in actionibus malis DEUM quasi invitum ad concursum trahi. Unde etiam Bellarm. & Suarez respondent: *Licet par & æqualis sit concursus DEI, DEUS tamen imperat & suadet bonas actiones, illasq; intendit, malas nec imperat, nec intendit.* Excipit Rhetor fortis: *confunduntur actiones in genere morum cum actionibus in genere physico; ad minimum sequetur, quoad entitatem physicam concursus ad actus bonos & malos non esse distinctos.* (b) *DEUS concurrente cum diabolis non potest intendere, ut bonas & sanctas actiones præstent, desideraret enim rem impossibilem.* (c) *Nemo, cui aliquid salis, credit, DEUM id intendere, quod in ipsius potestate efficaciter præstare non est; cum milites non intendant hanc urbem potius, quàm illam occupare, cum toti pendeant ex Ducum directione, quas urbes oppugnent, quas non.* Resp. (α) Sit ita, entitatem physicam esse æqualem, quid tum? (β) in concursu apud Diabulos non potest intendere actiones bonas: Ergò nec apud alios; putasne firmam esse consequentiam? quamvis omninò certò respectu possit & in concursu apud Diabulos bonum intendere, i. e. optare, ut fieret: *Instas: Hoc votum & hæc intentio est frustranea? Benè Domine: insto: & illa voluntas DEI erit frustranea, dum gratiam tantum sufficientem non efficacem vult concedere; potuissent Angeli omnes semper benè agere; quòd verò jam non possint, est impossibilitas ex hypothesi. Ego sanè possum optare, ut in fluminibus præcipitibus laborans liberetur, quamvis ereptio non futura.* (γ) *Pater filios adhortando non potest efficaciter & infallibiliter obedientiam illorù sibi persuadere: Ergò nec intendere? quicquid sit de dissimilitudine [quam forsitan prætendes] quòd Pater non certò sciat, quid futurum &c. Si cum Infralapsariò mihi res esset, urgerem illum: DEUS non efficaciter potuit præstare, ut omnes in universum homines salvarentur: E. non potuit intendere omnium salutem.* (δ) *Ergòne homines in actionibus liberis ita adiguntur à DEO, ut milites multoties fustibus, ad expugnationem urbis?* Objicit.*

XVIII. *Ratio, cur hunc concursum generalem finxerint, nulla est: E. talis concursus nullus est.* Probationes ejus legantur ib. p. 381. Resp. (α) ratio & pietas, cur concursum determinantem finxerint Domini- cani & Calvin. nulla est: Ergò talis concursus nullus. Probo antece- dens: Si DEUS manet causa primordialissima, etiamsi non prædetermi- net concursus ejus, sequitur, quòd hæc ratio nulla ad concursum præ- vium adstruendum. (β) Ratio maxima est, cur concursum determina- bilem defendamus, vindicatio sanctitatis divinæ & libertatis humanæ, quod ad nauseam usque repetere cogimur in hac materia. Objicit

XIX. *Si concursus DEI determinabilis posterior influentiâ causæ se- cundæ, tum non potest esse causa actionis causæ secundæ; quod absurdum, probat consequentiam, quia causa effectui non posterior.* Resp. Quis nostrum dixit, concursum DEI posteriorem esse influentiâ causæ secun- dæ? Determinatio hominis à DEO prævisa prior est influentiâ causæ secundæ & concursu DEI; ad actionem verò ipsam elicitam causa pri- ma & secunda simul influunt. Quomodo verò & respectu deter- minationis DEO vel prioritas vel simultas competat, dictum est alibi. Ad instantiam: *Si hominis voluntas semetipsam deter- minat, determinatio verò nihil est, quàm vel prosecutio vel aver- satio objecti, aversatio verò & prosecutio sint actiones, actio verò creature procedat à creatore, imò, ut omnes Metaphysici fatentur, actio- nes naturæ esse priores à Creatore, quàm à Creaturâ, cum ille agat indepen- denter, hæc verò dependenter; sequitur, determinationem voluntatis esse prius naturæ à Creatore, quàm à Creaturâ.* At posterius juxta vos est ab- surdum: Ergò & prius: alibi respondimus; legatur & Robertus Baro- nius in Metaphysicis p. 171. seqq. Neque in illa objectione erimus pro- lixi: *Si in Spiritualibus gratia est indifferens, & à voluntate creatâ ad speciem actûs determinabilis, non repugnabit ex naturâ gratiæ, & saltim Metaphysicè loquendo, esse aliquem hominem, quem DEUS etiam de po- testate absoluta convertere & prædestinare non posset; & è contra, quem damnare non posset; utrumque verò est absurdum, & contra supremum DEI dominium.* E. Etiamsi NB. Augustinus Erath p. 430. hanc objectionem gratiæ congruæ patronis inseparabilem dixerit l. c. conf. & p. 571. & c.

XX. Nunc dicta Scripturæ quoque essent examinanda, quæ adver- sarii aliàs pro concursu & gratiâ necessitante non sine sudore corra- se- re. Evolvatur modò P. I. Dispp. Sedanensium p. 993. seqq. ubi longâ serie

serie

JHVS

9

ferie poterunt legi: (a) *DEUS aures ad audiendum & oculos ad videndum largitur*, Deuter. 29, 4. (b) *Regeneratio dicitur circumcisio*, Deut. 30. v. 6. (c) *DEUS sanat omnes infirmitates nostras*, Ps. 103. v. 3. *inter quas non est minima sed longè miserrima, proclivitas ad resistendum DEO.* (d) *DEUS lapideum cor aufert, & carneum dat*, Ezech 11. v. 19. cap. 36. v. 26. (e) *Perduxit ad se Apostolos*, Matth. 19. v. 20. *latronem*, Luc. 23. v. 40. *multa millia simul*: Act. 4. v. 4. (f) *Conversio nostra dicitur generatio*, Joh. 3. v. 3. *generationi verò primæ nemo potest resistere.* (g) *Evangelium DEI est potentia ad salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16. (h) *Fidelium sanctificatio dicitur creatio*, Eph. 1. v. 10. (i) *Arma militiæ nostræ sunt potentia DEO ad demolitionem munitio- rum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem &c.* 2. Cor. 10. v. 4. 5. (k) *potentia DEI nos salvantis eadem est cum illâ, quam adhibuit in Christo ex mortuis resuscitando*, Eph. 1. v. 19. Colofs. 2. v. 12. (l) *Fides non est nostra, sed DEI donum*, Ephes. 2. v. 8. Philipp. 2. v. 13. (m) *Assur est virga furoris divini, & in manibus eorum est baculus indignationis DEI.* (n) Joh. 6. v. 44. *Pater trahit credentes.* (o) *Ex DEO, per DEUM, in DEUM ita sunt omnia, ut detur ἑκ θεοῦ καὶ διὰ θεοῦ εἰς θεόν*, Rom. 11. v. 36. 33. &c. [*Mirum, quòd non etiam loca citaverint Sedanenses respectu actuum vitiosorum: DEUS iussit Simei maledicere; Pharaonem induravit; Davidem ad numerandum populum irritavit &c.*] Ergò concursus & gratiæ divina necessitant. Ast quia omnia tam futilia, ut vix responsione digna [quod paucis probatum dabimus (a) Atqui DEUS aures ad audiendum, & oculos ad videndum largitus fuerat Israëlitis, & tamen gratiam divinam tam frequenter respuerunt; nihil affirmo contra Textum; quid enim vetaret, quò minus נִלְיִן interrogativè affirmativè (nam interrogatio negativa æquipollet affirmativæ) accipiatur: Nonne DEUS vobis dedit cor? &c. quæ explicatio sanè contextui convenientissima: deinde quicquid sit de hóc, verum certè illud manet, & eum, qui oculos & aures habet, posse illos obtegere, & has obdurare. (b) Omnes híc dicuntur spiritualiter circumcisi; Atqui non diffitendum, quòd plurimi & tempore Mosis in ipsa gratiæ oblatione, & post abitum ejus ex hác vitâ, per peccata DEUM deseruerint: ubi igitur circumcisio spiritualis inevitabilis respectu fructus. Imò Sichem circumcissioni potuisset resistere: E. & regenerationi poterit quis resistere. Infans octo dierum equidem nõ resistit; perveniens tamen ad iudicium

discretivum, potest contra circumcisionem protestari: sic concedo gratiam primam praevenientem nobis esse inevitabilem; ast probetur, an homo non possit non illam assumere. In genere: noli similitudinem ultra tertium extendere: Alias similiter inferam: Electi comparantur cum vasis honoris; & reprobi cum vasis ignominiae: E. caro & ossa in illis coquitur, vel sunt receptacula aquae & vini vel urinae &c. (c) E. DEUS etiam eradicabit fomitem peccati, & incentivum pessimum, labem originalem, haec enim est miserrima hominis conditio. Nulla consequentia: Sanat aegritudines i.e. conscientiae tremorem, irae suae sensum dissipat: E. tollit plane potentiam resistendi operationibus suis gratiosis. Vel: remittit peccati reatum: E. physicè quoque tollit peccatum & radicem ejus. Probetur, quod in peccatorum remissione SANARE habeat significationem physicam; videris mihi transfuga in castra Pontificiorum: sed cave tibi, ne te vinculum nobis reddant. (d) infirmissima illatio: *DEUS pro lapideo carneum dabit cor, ut in viis suis homines ambulaturi: E. carneum cor non possent repudiare*: Domine, in circumcisione dederat novum cor Judaeis, & tamen mox vice ejus assumpserant lapideum; imò, nunc grave, legatur v. 21. ubi DEUS: qui cor carneum non admittent, rependam malitiam ipsorum in Caput; si non resistibilitas, quorsum comminatio? Quod verò eò ipso momento Judaei non potuerint rejicere cor novum; quò oblatum est, nondum probatum est. (e) sit ita: *gratiam vocatricem in Apostolis peculiarem vim exeruisse*; an *ordinaria* gratia exinde judicanda? Deinde prob. quod neque Petrus, neque Johannes, neque Lucas neque Matthaeus &c. vocationem Christi potuerint irritam reddere; quamvis illud verum, quod, praevisa libera obedientia, in sensu composito impossibile fuerit, ut Christus frustraretur. (f) Cur non similiter inferas? Magistratus in terris dicitur DEUS. DEUS verò est infinitus. E. & Dii h.e. Magistratus in terris. Comparatio est haec: Quemadmodum, qui à Parentibus gignitur, Esse & vitam naturalem accipit, cum antea nihil fuerit; ita & qui regeneratur, Esse & vitam spiritualem accipit. Quod quis generationi primae non possit resistere, mirum non est, nam nondum existit; ast qui regenerandus, debet esse genitus naturaliter, & licet non habeat vitam spiritualem Ejusque Esse, anima tamen regeneranda physicè jam existens, potest resistere. (g) Est potentia quidem ad salutem sed NB. *Credenti*; at quot exempla, pro dolor! in Scripturam profant, eorum,

eorum, qui fidem noluerint, & ita potentiam Evangelii non experti. Et medicamentum est potens ad sanitatem, sed NB. *recipienti*; quis verò Medicorum agrotum cogit & necessitat? (*b*) *κρίσις* aliquando significat institutionem 1. Petr. II. 13. Jam verò quæ consequentia? *DEUS nos ordinavit ad Opera bona in Christo JESU: E. irresistibiliter*. Deinde per nos servetur significatus Creationis & productionis ex nihilo; erit hic sensus: Quemadmodum primi homines nihil contulere ad Esse suum, ita nec nos ad vitam spiritualem, quid tum? E. neque resistere possumus; probetur. (*i*) quæ consequentia? *Paulus in debellandis calumniatoribus & obtrektoribus habet arma potentia ad demolitionem &c. E. gratia convertens est irresistibilis*: Etiam ille qui sufficientissimè refutatus, adhuc argumenta arrodit: E. & gratiam DEI licet fortem, homines poterunt repudiare. Conversio hominū fit Apostolicè, non Pistoricè, vid. B. Scherzer. in Syft. p. m. 723. (*k*) Proba conclusionem hanc esse Apostoli: *Qualis virtus DEI Patris in resurrectione Filii; talis & in nostrā conversione*. Apostolus tantum precatur ut sciant, quæ sit excellens magnitudo potentiae divinæ in credentes, quam exercuit in Christo ipsum suscitandō ex mortuis, & collocandō ad dextram suam. Jam quæ iterum structura terminorum? *Fideles debent cognoscere, quanta potentia DEI Patris in resurrectione Filii &c. quæ ad ipsorum utilitatem facta: E. convertuntur irresistibiliter*. Wendelinus & Heinius idem argumentum proposuerant: *Quò modò se habet virtus Spiritus in excitandō Christo, eodem modò etiam se habet in conversione hominum: At qui ibi irresistibiliter &c. E.* Respondit verò Magnificus Da. D. Mœbius Profess. Primar. in hac Academiā, Patronus & Præceptor noster Colendus in Disp. Apolog. contra Heinium (quæ in hac materiā omninò commendanda) §. 10. sqq. neg. Major: Positò verò sensum controversum obtinere: si per impossibile humana Christi natura potuisset peccare, potuisset quoque vim Patris vivificatricem concessam iterum destruere: Humana vero natura sanctissima lubentissimè admisit; ad Col. 2. 13. dicitur nos resurrexisse in Baptismō cum Christo per fidem, quæ efficitur à DEO, qui resuscitavit &c. quid inde? (*l*) cur non ex versu anteced. intulit adversarius cum Heiniō? *gratia DEI est υπεσβαλσα: E. irresistibilis*: Vel cum Samuel. Rhetorf. in Disp. Scholast. de divinā providentiā p. 29. ex Cap. III. Ephes. v. 20. *DEUS potest cumulatè facere super omnia quæ petimus &c. E. habet dominium efficax in actus nostros liberos*: quæ obje-

Etiones paulo plausibiliores, quamvis in se admodum infirmæ (*DEUS temporibus ultimis eminentem opulentiam gratiæ & gentilibus in peccatō mortuis concessit : E. convertit irresistibiliter &c. DEUS nobis plura dat quàm petimus : E. nos accipere cogimur :*) (vel: non possumus non accipere, quod libentius audiunt; in re verò convenimus.) O quàm clumbe argumentum! *Fides est donum DEI : E. homines, quibus fides à DEO offertur, necessariò credunt.* Si ita concluderes: E. non ex propriis viribus possunt credere, concederem: Sic verò similiter infero: Thalerus apud pauperem est donum divitis: E. mendicus non potuisset thalerum non assumere: Nugæ! (*m*) Locus objectus ex Esaiæ X. paulò difficilior est. Nam argumentum fortius posset stringi: *Qui Rege Assyriæ usus est ut virgâ & baculò, quò percuti debebat hypocritica gens Israelitica, & omnes reliqui populi, adeò ut, quamvis Assur putaret hoc omne fieri ex propriâ inclinatione & arbitriò, totum negotium DEO adscribendum, & Rex nudum instrumentum ut axis vel serra, quæ non potest gloriari contra dirigentem &c. sequitur quod concursus DEI Regem Assyriæ ad destructionem gentium determinârit & necessitârit.* Et si regerimus, *DEUM non potuisse determinare Regem Assyriæ, quia aliàs pœnam de ipsò sumere non potuisset:* Respondent: *DEUM propterea punivisse Regem, quia totum negotium sibi, non Altissimo imputavit.* Resp. Quod si concederemus, *DEUM in puniendis gravissimis peccatoribus absolutâ suâ potentiâ uti, & robustiorem aliquem ad executionem pœnæ determinare:* Ergone statim sequetur, quod *DEUS etiam in actionibus proprio hominum arbitrio relinquendis & liberis necessitet?* Ad minimum Assur non fuit inanimatum instrumentum, uti axis vel serra &c. sed animatum, rationale. Nulla igitur firma illatio: *DEUS usus est Rege Assur ut virga & baculo : E. planè Assur non potuisset abstinere à devastatione gentium: Et DEUS usus est Phariseis & Legisperitis ad occidendum Christum : Ergone irresistibiliter?* Hoc quidem vobis non absurdum. Pater utitur manu Matris, Filio immorigero alapam impactura, ad genam Filii: Ergone irresistibiliter? Instas: *Licet Assur aliud intenderit, attamen DEUS effecit, ut destructio perficeretur.* Respond. Textus, juxta Abarbenelem, nil aliud innuit, quàm Regem Assur putaturum, se ex propria virtute omnia perpetrare: Atqui hoc *DEUS* improbabat, quia ipse & concurrebat, & NB. omnia ad bonum finem diri-

diri-

dirigebat, licet Assur ad actiones ipsas se prius determinârit; lege contextum. Iterum præsuppono, Regem Assyriæ non fuisse instrumentum inanimatum; Similitudo igitur non extendatur nimium. Sensus est hic: *Quemadmodum ferra vel axis non potest se movere, 'nî accedat extrinsecus motor: ita nec Assur habet gloriandi causam, quod, ut virga & baculus, castiget gentes; sine me enim nihil posset efficere.* Jam nulla consequentia: *Rex Assur nihil posset efficere sine concursu DEI, neque gloria materiam habet, quod has vel illas gentes castiget: E. à DEO determinatur.* Si replicares: *Assur se determinavit: E. potuit gloriari;* ad hoc supra responsum; Cætera non appono. (n) Respondet Becanus T. I. Opusculorum, Opusc. I. p. 837. dist. inter tractionem *violentam & benevolam*; posteriorem dicit intelligendam esse etiam juxta mentem Augustini. Et rectè: Laudamus modestiam Becani, qui non tolerabit argumentum: *Compelle intrare: E. ense, igne &c. religio propaganda.* Scio equidem Thomistas & Calvinianos (vid. Petrum Molin. in disput. Sedanens. p. 228.) instare, & se admittere tractionem *benevolam, inevitabilem tamen & infallibilem*, sed sub polliô latet nebulo. Hôc ipsô tamen Arminianis non accedimus meram *moralem* tractionem fingentibus, Hülseman, de A. G. p. 254. uti Cicero traxit populum Romanum, ib. p. 243. (o) Locus hic maximè controversus est apud Interpretes. Ex contextu certum est, Apostolo sermonem esse, quod Judæi in Opere legis justitiam quærentes rejecti, conf. v. 20. gentiles verò, in Christum credentes, assumpti in Ecclesiam militantem. Instas: *Quæ verò hæc profunditas divitiarum, & imperscrutabilitas judiciorum DEI? Judæi ex malitiâ gratiam rejecere. E. nemo potest cogitationes Domini perscrutari.* Hinc Dn. Jurius in Consultat. de Pace inter Protest. ineunda, p. 109. *Nescio quid miretur Apostolus juxta Lutheranam hypothesein: Judæi rejecti sunt, quia gratiam oblatam ex abusu liberi arbitrii respue- runt, quid hoc mirum? &c.* Resp. Ergone nulla ratio potest dari, cur Judæi rejecti & gentiles assumpti: Atqui ratio aliàs vobis est maximum principium: sc. supralapsariis est absolutum DEI beneplacitum absque hominum demeritô, quod plurimi damnentur; Infralapsariis idem illud, sed cum hominum demeritô. Quæ consequentia? *Apostolus admiratur profunditatem divitiarum, & judiciorum divinatorum imperscrutabilitatem: E. DEUS absolute decrevit quosdam salvare, quosdam damnare.*

Quod

Quod si exclamationem hanc respicere diceremus versic. proximè antecedentem 32. Jam frigidum argumentum: *Maxima est profunditas divitiarum & sapientiae, & cognitionis divinae; Ejus judicia sunt imper-scrutabilia, quod, cum omnes potuisset damnare, NB. Omnium tamen, (ubi manet absolutum decretum?) sub incredulitatem conclusorum, velit misereri: E. est decretum absolutum Prædestinationis & Reprobationis.* Porro: Patroni gratiæ congruæ dicunt, hunc locum ad prædeterminationem nil facturum, si asseramus, *DEUM prævidisse gratiam Judæis offerendam non fore efficacem, & tamen è thesauro suæ omnipotentiae non aliam, quam prævidit efficacem futuram, decrevisse, quam dabit, si mysterium illud implebitur de conversione Judæorum, an universali,* quod & defendit Rhetor fortis in Epistolis suis p. m. 24. controversiam jam non facio meam; & sic benè posse adhuc exclamare Apostolum ω βὰδ & c. Conf. August. Erath. l. c. p. 432. Respondeatis hijsce. Sed hæc omnia transeant; nostri enim instituti nunc non est de decretis prædeterminantibus agere; sed de concursu ipsò ex gratia actuali oblatâ; unde consideremus v. 36. Aut loquitur ille de operibus naturalibus, aut de operationibus supernaturalibus. Si prius: Nulla consequentia: *DEUS cælum, terram, maria & omnia quæ in illis sunt, formavit, ut maxima profunditas divitiarum & sapientiae & c. exinde agnoscenda: E. gratia necessitat, vel concursus in naturalibus.* Si posterius: iterum sunt scopæ dissolutæ: *Ex DEO, per DEUM & in DEUM sunt omnia opera gratiæ, ut nemo possit capere profunditatem divitiarum & sapientiae & c.* (quod Filium miserit unicum, quod morti acerbissimæ tradiderit (hoc certè judicium DEI Judæis est scandalum & gentilibus vanitas) quod infirmillimus intellectus humanus, & voluntas deperdita meritum Filii DEI sibi possit applicare.) *E. gratia divina est irresistibilis.* Resistere quidem DEO non potuimus ut media nobis exhiberet; ast oblata tamen media esse inevitabilia, probandum. & c.) ubi vis etiam hæc argumenta in scriptis Theologorum polemicis ventilentur, prolixè omnia discutere non sumus annisi. Alia loca habent Duumviri Beatissimi, magnæ adhuc columnæ, & post mortem, Ecclesiæ orthodoxæ, Hülsemannus & Danhauerus; Ille in Tract. de A. G. p. 325. seqq. Hic in Hodomoria Calvin. & c. Quæ controversia adhuc durans duobus, inter Gallos, Theologis celebratissimis Arnaldo & Malebranchio in hæc materiâ intercesserit, legere poteris in

Luthe-

Lutheranismo Illustrissimi Viti Ludovici à Seckendorff/ in quò palatia sibi firmissima struxerunt, & pietas erga DEUM cum proximo, & eruditio inusitata in omnibus studiorum generibus, & modestia incomparabilis erga clientes Part. II. lib. I. p. 92. seqq. Et tantùm sub moderatione & directione DEI triunius, cui soli, ut optimo Patrono, supplicibus votis & in posterum studia nostra ex totò commendamus. Veniam, erratorum precarer à singulis Lectoribus (quam & à pietatis amanti- bus & infirmitatis humanæ consciis mihi absque dubiò promitto;) sed quomodo possem à singulis, quum à multis me nihil impetraturum edo- ctus è prioribus Disputationibus, juxta Academiae hujus Constitutionem habitis, certò sciam. Multi floccifacient totam dissertationem, dicen- tes, esse ventilationem Scholasticorum, quorum unus hircum mulget & alter cribrum supponit, qui λεπτά & asinorum umbras non rarò se- ctentur. Alii gracilitatem styli ejusque jejunitatem accusabunt, quod populariter locuti, neque aures demulserimus structurâ sermonis ele- ganti. Alii rem suo loco relinquentes auctorem aggredientur, illius, ut hominis, infirmitates scurriliter traducturi, quas & ipse agnoscit, & DEO suo non rarò deprecatur. Et possemus equidem singulis merce- dem, pro navatâ operâ destinare, & scurrilia scurrilibus retundere, quum à depravatâ nostra natura aptissimi ad hæc formati; reputantes tamen nobiscum, cujus Spiritus sumus Filii, malum malò rependere nolimus. Ut tamen rei suæ constet veritas vellem, secum cogitarent, quàm ineptum judicium, rem planè non curare velle, quæ inutilibus & futilibus quibusdam deformata; sic & triticum abjiciendum, quia lo- lium intermixtum. Mei quidem non interest, siue curetur, siue minus, Theologia Scholastica, quum concionando in Ecclesia Deo meo, pro vi- ribus concessis, inservire, si ipse vocaverit, animus sit, quod aliud studi- um, pietatis puta, & praxeos in totum requireret; ast tamen illi propte- eà non culpandi, qui in Academiis vivunt, & juxta Spiritum Sanctum δυνατοὶ debent fierι τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν: unde non possumus non nos obstrictissimos fateri Excellentissimo Domino Licentiate Cy- priano, Professore Physicæ Celeberrimo, quippe cum aliis Collegis huic debemus, quod terminos Scholasticorum multoties barbaros, aliquan- tum intelligamus. Et ne glorientur quibus præsens materia non arri- debit, ac si prius controversiarum Scholasticarum abusum observârint;

sece-


Q

fecerunt id jam dudum Arminiani & Sociniani; imò in medio Papatu Reverendus Pater Vincenſius Contenſor in editâ ſua Theologiâ Mentis & Cordis ſat comprobavit, omiſſione plurimarum ſpeculationum, reliquarumq̄ve quidem deductione, aſt utiliſſimâ applicatione per Reflexiones (quod & in hac diſputatione facili negotiò fieri potuiſſet) utilitatem ſuam maximam Theologiæ controverſæ conſtare. Nitorem ſtyli in ratiociniis nullus deſiderabit, ubi oratio decurtata, perſpicua tamen, requiritur. Si epiſtola conſcribenda aut oratio, de facili luxuriandum. Judicibus vitæ & actionum gratias ago, ſi verò taxant; ne tamen, dum in aliis ſunt occupati, ſui oblivifcantur, remitto ipſos ad Luc. Cap. VI. v. 41. ſeqq. Si verò calumniantur audaçter, & putant ſemper aliquid hæere, velim ſibi caveant, ne impertiginofa ipſorum capita & manus ad pugnam prurientes pro merito eòdem arceò ab aliis inungantur; hæc enim ſors calumniatoribus eſt communis, qui Chriſtum etiam reprehendi, ſi cum publicanis & peccatoribus biberet & converſaretur. Concludo verbis Auguſtini: Homines ſumus, aliter verò aliquid ſapere, quàm ſe res habet, humana tentatio eſt; in nullò verò aliter ſentire, quàm ſe res habet, Angelica perfectio eſt, quam nondum habemus. Imitabor Auguſtinum: Homines ſumus: aliter verò aliquid peragere quàm divina lex requirit, humana tentatio eſt, in nullò verò divinò præceptò aberrare, Angelica perfectio eſt, quam nondum habemus. DEUS verò me cum aliis in poſterum Spiritu ſuo Sanctò ita regat, ut mundo mortui perfectionem ſemper ſectemur, quæ in hõc depravatiſſimò ſeculò poſſibilis.

F I A T!

ERRATA.

Integram diſſertationem prelo ſubtractam propter tediousam prolixitatem perlegere non potuimus; illas tantùm paginas, quæ in abſentiâ noſtrâ correctæ, reviſimus, in quibus errores principales ſequentes annotavimus: Pag. 42. pro manere, legatur manca; ib. in lineâ ult. poſt annon comma deleatur. p. 45. in fine reſponſionis ſecunda omiſſum eſt, erit. p. 56. pro diffivillima legatur difficillima. pag. 62. pro eandem, legatur tandem. ib. pro deſideratorum legatur deſideraturum. p. 72. in lin. 1. pro atque leg. alii. p. 76. pro ſubjectione leg. ſubſectione. p. 79. in argumento 4. lin. 3. deleatur non. Reliqua ſphalmata emendentur pro candore legentis.



Ad
Perquam reverendum & præclariss.
Acutissimæ Disputationis hujusce Theologicæ
AUTOREM AC PROPUGNATOREM,
Amicum suum non è multis.

Liberum uti arbitrium, Stoæ liberrima fato,
Mentibus humanis indidit alma Trias:
Sic homines nullos violentè impellit ad actus,
Seu Natura obeant, sive Salutis opus.
Quod dogma ex puris Scripturæ fontibus haustum
Dum Zwingli adversus dogmata fœda probas,
Voceque flumineâ, scriptoque tueris acuto,
KRUMBHOLZI, Eusebies præmia plura meres.
Nec tibi non plures Dea conferet enthealauros,
Si plura in lucem scripta gemella dabis.
Omnia recta etenim, nil CURVI in mente relictum est;
Rectum igitur pretium plasmat a recta manet.

properab. in Paulina

*Meritissimo Dn. Autori ac Respondenti plura
felicis ingenii, ex promptæ facundia, solida-
que eruditionis præmia comprecatus.*

L. Joachimus Fellerus, PP.
& Acad. Bibliothecar.

בראותי הויכוח העיוני והמחודר /
מגזרות והתיחדות פעולות ה' עם פעולות

האנושיות נצמד /
אשר פעל והמציא הבחור הנחמד /

פילוסוף חריף דרשן ומלומד /
הלא הוא היקר אוהבי ויודי /

כמו כריסטיאן קרומבהולץ יצו

אמרתי בחפזי

אהללנו בנועם מהללי / ואכתירה שמו עם כל מאודי /

ולכבודו הלא אשא משלי / ומשירי אהודנו בעודי :

שפתי חכם יוסיפו לקח /

כי זה נראה בזה הויכוח /

טעמיו מתקו מיין הרקח /

דעת כל איש מהם תנוח /

חברו בחור מלא דעת /

לכן דעתו היא נשמעתי :

חברתי בנחיצה / ובנפש חפצה

Fried. Albrecht Christian,

Rabb. Talmud. Lect. Publ.

in Acad. Lipsiensi.

*D*um, quod, Amice, petis, festino scribere carmen,
Carminis sat tenui duplico vota meo.

Gratulor en! primò collatum nuper honorem,

Qui prodit studium non sine laude tuum.

Post opus ingenii praesens specimenq; laboris,

Quòd laudem prorsus compleat istud opus.

Larga

*Larga Tibi porrò benedictio Numinis adsit
Divini: ut possis tangere ritè scopum!*

In honorem Perquam-Reverendi atq; Clarissimi
DN. AUCTORIS, Fautoris & Amici sui singu-
lariter horandi,

hæc apposuit

*M. Job. Gottlieb Lucius, Dresd.
SS. Theol. Baccal.*

ARgutum quod sistis opus, verumque profundum
Eruis, & tanto PRÆSIDE verba facis,
Hoc tibi sublimes pariet, nec fallor, honores;
Officium fecit linguaque mensque suum!

*Doctissimo Auctori de egregio eruditionis Scho-
lasticæ specimine gratulatus bono omine
scribebam.*

M. JO. GEORG. PRITIUS.

MIrentur dotes alii, ingeniiq; vigorem,
Atque tuum extollant divinum mentis acumen;
Æstimet ille *Artes*; hic *Linguas*; isteque raras
In TE *virtutes*; *Facundia* denique prompta
Undique TE reddat celebrem; (Quæ & jure mereris:
Singula namque TIBI hæc insunt. Res ipsa loqvetur.
Et quis, KRUMBHOLZI, Vir sis, testabitur ample,
Quod nunc adjungis *specimen*, solideque tueris.)
Ast ego laudo FIDEM (corvo quæ rarior albo
Temporibus nostris!) *Animumq;* (O Amice) proba-
tum,

Q3

Qvo

Qvo me, septenni postquam (DEUS adde! perenni)
Fœdere devinctus Tibi sum, sine felle beasti.
Tu mihi svavis Amor! Tu Candor es ipse, Fidesqve!
Cujus Amicitiam sibi tot gratantur Amici,
Lipsia quos & adhuc mecum Tibi junxit & olim,
At quorum plures DEUS & bona sparta vocavit,
Quam nunc MOLLERUS, GLEITSMANNUS,
MONCHIUS ornat;
Quam VVEISMULLERUS; nec non MARTI-
NUS uterqve,
HONOLDI quondam assidui, gratiqve sodales,
Qui certe unanimi nos amplectuntur amore.
Attamen absentes. Ego præsens utor, AMICE,
Integritate tua. Sed nosmet, ut arbitror, ipsos
Corpore disjurgent posthac pia Fata. Feramus!
Dummodo mente animi simus calamoq; propinqui.
In manibus Domini sors nostra recondita. TAN-
DEM
Et Nobis, spero, melior fortuna favebit!

Sic

*Intimam amicitiam Reverendi sui Krumb-
balzii estimare debuit*

M. Daniel Ringmacher

Ulmensis.

Affidue

Asfiduo Tibi *concurſu* Deus adſtitit, atque
Ingenio tribuit ſplendida dona Tuo.
Huncce Dei merito *concurſum* munere, Amice,
Scriptarum theſum concelebrare volo.
Numinis hoc factum multis ſublime videtur;
Nec niſi ſublimis mens penetrare poteſt.
Aſt tali ingenio gaudens ſublimia tractas
In cathedrâ, & lingvâ ritè tuère tuâ.
Ex animo precor, ut concurrat Numen amore
Ad ſtudii metam, quæ Tibi fixa fuit.


*Ita Per quàm Reverendo & Praclariffimo Dn.
M. Chriſtiano Krumbholzio, SS. Theol. Bac-
calaureo & Miniſterii Candidato longè
digniffimo, Amico conjunctiffimo, gratula-
tur, fauſta inſimul quævis animus appre-
cans*

M. Georgius Henricus Gœzius,
Lipſienſis, SS. Theol. Baccal.

Noftris quem præſtet concurſum Numen in actis,
Tradis, & adverſas conteris arte ſtrophas.
Gratulor atque precor, Tua facta ſecundet Jova,
Conferat & ſtudiis præmia digna Tuis.

*Hiſce Per Reverendo Dn. Auctori, Amico ſuo
integerrimo gratulari voluit*

M. Chriſtianus Richter/
Delit. Miſn.



A. Sicut in diebus illis
in quibus tribuitur
Huncce locum in quo
scripturae in scriptis
Nuncius hoc legitur
Nec nisi scripturae
Ab aliis quibusdam
in carceribus & in
Exemplum est in
Ab aliis quibusdam
in carceribus & in
Exemplum est in
Ab aliis quibusdam

M. Georgius Henricus
Lipshius

Gratias agere precor, Tullia secunda
Confiteri & laudare precor, Tullia
Gratias agere precor, Tullia secunda
Confiteri & laudare precor, Tullia

M. Christianus
Delle Mille

1650

